DE

DEMINUTIVIS, INTENTIVIS, COLLECTIVIS

ET IN MALAM PARTEM ABEUNTIBUS

IN FRANCOGALLICO SERMONE

NOMINIBUS

DISPUTAVIT

E. ÉTIENNE

UNIVERSITATI AGREGATUS

IN NANCEIANO LYCŒO PROFESSOR,

DOCTORIS GRADUM

APUD PARISIENSEM LITTERARUM FACULTATEM ADEPTURUS.

NANCY

IMPRIMERIE NANCÉIENNE, 1, RUE DE LA PÉPINIÈRE

1883

DE
DEMINUTIVIS, INTENTIVIS, COLLECTIVIS
ET IN MALAM PARTEM ABEUNTIBUS
IN FRANCOGALLICO SERMONE
NOMINIBUS

DISPUTAVIT

E. ÉTIENNE

UNIVERSITATI AGREGATUS
IN NANCEIANO LYCŒO PROFESSOR,
DOCTORIS GRADUM
APUD PARISIENSEM LITTERARUM FACULTATEM ADEPTURUS.

NANCY
IMPRIMERIE NANCÉIENNE, 1, RUE DE LA PÉPINIÈRE

1883

ERRATUM

Pro	lege.
consonnantem, p. 4, vers. 19; *consonnantis*, p. 32, vers. 12	*consonantem, consonantis.*
sæpins, p. 4, vers 31	*sæpius.*
perpaucœ, p. 12, vers. 34	*perpaucæ.*
consomante, p. 13, vers. 6	*consonante.*
ad mirationem, p. 15, vers. 28	*admirationem.*
forsam, p. 21, vers. 3	*forsan.*
apnd, p. 21, vers. 14	*apud.*
hand, p. 34, apud annotat.	*haud.*
coherent, p. 34, ibid	*cohærent.*
uculum, p. 38, vers. 10	*iculum.*
acicnla, p. 43, vers. 6	*acicula.*
intentiva, deminutiva, p. 50, vers. 8	*intentivum, deminutivum.*
« *ac chenal* » P. 56, vers. 5	*ac* « *chenal* ».
quim, p. 63, vers. 33	*quin.*
p. 64, vers. 26, post *cuniclus* adde (.)	
aud, p. 66, vers. 13-14	*aut.*
illita, p. 66, vers. 17	*illata.*
poene, p. 81, vers. 20; p. 95, versé 33	*pæne.*
abhoc, p. 88, vers. 27	*ab hoc.*
fotonem, p. 96, vers. 15.	*fœtonem.*
ante pænultima, d. 107, vers. 22	*antepænultima.*

IBI NOTATA sunt quæ latina vocabula aut voces aliquantum ab solita dicendi ratione discedunt, vel breviter sunt inscripta.

	Apud nos
Anglic. sermo	Anglais
Antepænultima (syllaba)	Antépénultième.
Burgund. dialectus	Dialecte bourguignon.
Campania (provincia)	Champagne.
Consonans (littera)	Consonne.
Declinatum (nomen)	Mot dérivé.
Docta origo	Origine *savante*.
Doctum (vocabulum)	Mot *savant*.
Francogallicus (sermo), frgall	Français.
Frequentativa, um (particula, suffixa, nomen).	(Suffixe, nom), fréquentatif.
Galloromanus	Gallo-romain.
Germ., german. (sermo)	Allemand.
Hispan. (sermo)	Espagnol.
Ital. (sermo)	Italien.
Intentivum (nomen)	(Subst.) augmentatif.
Indogermanicum	Indo-germanique.
Lotharingica, lothar. dialectus	Dialecte lorrain.
Picardica, picard. dialectus	Dialecte picard.
Populares homines	Hommes du peuple, peuple.
Popularis, adj. nomen	Populaire, usité chez le peuple.
Vox popularis	Expression populaire.
Portug. (sermo)	Portugais.
Primigenium	Radical, mot simple ou primitif.

	Apud nos
Primit. nomen	Mot primitif.
Provinc. (sermo)	Provençal.
Promiscuum, promisc. nomen	Nom commun.
Proprium, propr. nomen	Nom propre.
Res mutæ	Noms de choses inanimées.
Sonans syllaba	Syllabe accentuée.
Suffixa (particula)	Suffixe.
Semidoctum nomen	(Mot) demi-savant.
Tonus	Accent.
Vet. frgall	Vieux français.
Vocalis (littera)	Voyelle.

PROŒMIUM

Inter suffixas illas particulas quæ primigeniis vocabulis subjungi solent, unde declinata variis cum sensibus vocabula evadant, nullas forsan ad delectationem grammatici aptiores iis dixerim, quæ primitivo vocabulo notionem quamdam seu deminutivam, seu collectivam, seu intentivam, seu malam subjiciunt. Quæ quidem, etsi multo pauciores in latino sermone quam in linguis ab ejus sinu ortis adsunt, jam tamen ita numero valent, ut aliquis merito contendere possit, recentiores illas linguas quæ nunc romanicæ dicuntur, totam informandi nomina rationem ab latina gente accepisse, atque nihil aliud quam veterem consuetudinem in majus latiusque vertisse. Scilicet quanquam Romanus populus deminutivis ac præsertim intentivis collectivisque et in malam partem abeuntibus parcius usus erat declinatis nominibus, quid mirandum est, si Galli, ut ceteros omittam populos Romanæ ditionis olim factos, adjuvantibus et annis qui novarum sententiarum proventum secum afferrent, et Germanis, qui, ut veterem rerum statum, sic et latini sermonis faciem aliquatenus mutaturi essent, non satis habuerunt priorem verborum copiam retinere, sed nova adhibuerunt quibus vel amplificatio vel deminutio rerum, vel tandem deterior vocabuli significatio effingeretur?

Quæ igitur fuerint apud Romanos deminutivæ, intentivæ

aut frequentativæ particulæ inquirendum est. Investigare jam tum licebit quomodo, pluribus ab pristino sensu paulatim abhorrentibus, posteriores homines in necessitatem venerint novas usurpandi partim latinas leviter deflexas, partim aliunde arcessitas.

Quæ tandem sint apud nos ejusdem generis particulæ et unde originem ceperint disputandum erit.

CAPUT I.

QUATENUS DEMINUTIVIS, INTENTIVIS AUT FREQUENTATIVIS PARTICULIS LATINUS SERMO IN SUBSTANTIVIS ADJECTIVISQUE NOMINIBUS UTERETUR.

Variis quidem latinus sermo utitur particulis; suffixa vero « lus, la, lum » (primit. lo) permultis subjuncta verbis numerosissima deminutiva nomina promit, quorum præcipua genera subjacent :

1) « Leus » : haud simplex illa videtur esse particula, nam ex suffixis « lŏ + eus » (primit. eo) constat. Quamvis in plerisque ejusmodi verbis deminutivus sensus jampridem obsolevisset, proferenda sunt « aculeus, equuleus, nu- » cleus, » apud quæ non omnino evanuerat deminutiva significatio.

2) « Olus, ola, olum » (= O + lo) : « ardeola, areola, » araneolus, araneola, alveolus, armariolum, balneolum, » bestiola, calceolus, caseolus, filiolus, gladiolus, glo- » riola, ingeniola, linteolum, malleolum, ostiolum, præ- » diolum, sententiola, suaviolum aut saviolum. » Illis addantur adjectiva quædam nomina, quibus haud deest notio deminutiva : « æneolus, consciolus, ebriolus, scæ- » vola (gr. σκαίος), etc. »

Ab regula, id est ab deminutiva significatione absunt, nec vernaculam, sed externam, græcam scilicet, originem præferunt : « apostolus, diabolus, epistola, etc. »

3) « Ulus, ula, ulum » (= U + lo) parum ab superiore « olus » distat, nam « olus » suffixa recte « in ulus » mutata est, extra quam si littera *e, i* aut V præcederet : « adoles- » centulus, ætatula, animula, equulus, falcula, granulum, » hortulus, litterula, lectulus, loculus, modulus, nidulus,

» mercedula, osculum, oppidulum, paginula, ramulus,
» ranula, servula, vernula, etc. »

Aliquot tamen neque pauciora jam antiquitus deminutiva significatione carebant : « acetabulum, æsculus, cin-
» gulum, capulus, cumulus, gerulus, gerula, fabula,
» fibula, fistula, latibulum, manipulus, patibulum, populus,
» tabula, tribulum, turibulum, tegula, etc. »

Ad deminutivam significationem facile accedit quæ sensum in pejus vertere solet ; quare nonnullis nominibus ad suffixam « ulus » pertinentibus vituperatio quædam injicitur : « servulus, servula » (apud nos : misérable esclave, esclave de bas étage), « rabula » (méchant orateur).

Nonnunquam inter primigenium verbum et suffixam « ulus » interposita est particula « ed » : « mon-ed-ula, nit-
» ed-ula, querqu-ed-ula. »

4) « Culus, cula, culum ». Quotiescumque C littera ante suffixam « ulus » adest, clarius etiam patet deminutiva significatio. Perstat sine ulla mutatione suffixa « culus,
» cula, culum, » modo ut in consonnantem primigenium verbum exeat : « arbus-cula (arbor, arbos, arbus), frater-
» culus, mater-cula, mulier-cula, opus-culum, pater-culus,
» suc-culus, soror-cula, uxor-cula, tuber-culum, vas-cu-
» lum. »

Copulatur interdum eadem « ulus, ula, ulum » cum suffixa « on », quæ ad tertiam pertinet declinationem : « o-onis, onem ; on » vero in subraucum sonum « un » deflexa, sequitur suffixa vere deminutiva « uncula :
» assentatiuncula, carbunculus, centrunculus, furunculus,
» homunculus, indignatiuncula, lectiuncula, mendaciun-
» culum, oratiuncula, sermunculus, etc. »

Sæpins etiam fit ut post vocalem litteram posita sit suffixa « culus » ; unde informatæ sunt suffixæ « aculus,
» eculus, iculus, uculus. »

1° « Aculus, acula, aculum. » Ex. : « graculus, nova-
» cula, tenaculum, gubernaculum, miraculum. » Vere

quidem dicas his vocabulis, in solita Latinorum loquendi ratione, deminutivum omnino desse sensum; « fornacula » contra aliquid majus declarare videtur.

2° « Eculus, ecula, eculum. » Ex. : « vulpécula, sedé-» cula, diécula, spécula. » Rara sane hujus generis verba, quoniam pleraque primigenia ad tertiam declinationem pertinentia « iculus, icula, iculum », edere solent.

3° « Iculus, icula, iculum. » Ex. : « articulus, anguicu-» lus, ædicula, anaticula, auricula, avicula, clavicula, » cornicula, cuniculus, curriculus, conventiculum, follicu-» lus, manicula, opicula, testiculus, vermiculus, versicu-» lus. » Deminutivo sensu caret « periculum. »

Sunt et adjectiva nomina, inter quæ enuntiare licet : « acriculus, amiculus, anniculus (in nostro sermone : âgé » d'un an), tristiculus. » Aucta est series hæc verborum multis nominibus quorum primigenia in *u* vocalem desinebant; quæ quidem, nisi a regula deflexissent, usque « uculum » dedissent.

4° « Uculus, ucula, uculum. » Ex. : « veruculum. » Jam clarissimo latini sermonis tempore pro « iculus » apparere « uculus » solebat : sic « peduculus » una cum « pediculus » inscriptum erat : quæ consuetudo postquam paulatim invaluerit, jam mox in eo erunt Galloromani ut pro « pani-» cula, » exempli gratia, « panucula » vel « panuncula » usurpent.

5). « Ellus, ella, ellum; — illus, illa, illum. » Ex. eodem fonte fluunt ambæ illæ suffixæ originemque ab suffixa « ulus, ula, ulum » trahunt, cujus liquida *l* littera cum *l*, *r* aut *n* primigenii verbi commixta est, ut « ellus, » si exemplum hoc satis erit, pro « er-ulus, en-ulus, ul-ulus » evaderet. Exempla adsunt : « agellus (= *ag* (*e*) rulus), » asellus (= asin-ulus), locellus (= locul-ulus), agnellus, » cultellus, sacellus, fabella, capella, catella, castellum, » flagellum, sacellum, cerebellum ; catillus (= catin-ulus), » lapillus (= lapid-ulus), pulvillus (pulvin-ulus); hædil-

» lus, furcilla, auricilla (= auricul-ula), Drusilla, Domi-
» tilla, bacillum (= bacul-ulum), salillum (= salin-ulum),
» pocillum (= pocul-ulum), villa (= vicula), etc. » Numerosiora sine dubio proferre possimus exempla, unde manifestum videatur Romanos, vel prospera rerum suarum et litterarum ætate, suffixis « ellus, illus » crebrius opinione usos fuisse; illæ autem, postquam antiquiores suffixas deturbaverant, jamjam « ulum » suffixam erant deturbaturæ: quum enim « ulus » suffixæ tonus deesset, in necessitatem venerat eadem ut ab Galloromanis omitteretur : nempe constat apud romanicas linguas nihil unquam valere suffixam quamlibet si tonus absit. Inde fit ut in locum veterum vocabulorum « martulus, nodulus, ramulus, tec-
» tulum, virgula » successerint apud mediæ ætatis homines deminutiva « martellus, nodellus, ramellus, tectellum,
» virgilla (= virgul-ula). »

Jam vero ipsi Romani « rotella » pro « rotula » usurpaverant.

Adjectiva hæc addantur : « gemellus, misellus, novellus,
» pulchellus, tenellus; — ovillus, pusillus. »

6). « Ollus, ullus » nihil aliud quam genus quoddam et alterum suffixæ « ulus » sunt : « ollus » pro « on-ulus,
» ol-ulus » inscribitur. Ex. : « corolla (= coron-ula),
» persolla (= person-ula); » sic et « ullus, ulla ex « ur-
» ulus, ul-ulus, un-ulus, or-ula ortum est : ampulla (= ampor-
» ula), Catullus (= Caton-ulus), homullus (= homon-ulus),
» Sulla (= Sur-ula); » quibus adjiciendum est adjectivum nomen « satullus (= satur-ulus). »

7). « Ellulus, illulus » jure dicas duplices esse deminutivas suffixas ex « ellus + ulus » atque ex « illus + ulus » constantes : « agellulus, agnicellulus, cristellula, puellula,
» pauxillulum. »

8). « Ullulus » suffixa, superiore etiam rarior, ex « ullus
» + ulus » constat. Ex. : « homullulus. »

Illa quidem diversa suffixarum genera edidit deminutiva

forma « lus ; » sed et aliis suffixis Romani utebantur, seu minores, seu pejores interdum rerum notiones effingere vellent, nisi quod intentivæ significationis rationem vix inchoatam habuerunt.

9). « Ilena » quasi multiplex suffixa est per deminutivam suffixam « il » composita. Rarissima sane illa, nec quam vere effectricem declinatorum nominum habere queas ; neque ullum nisi « cantilena » mihi in memoriam cadit exemplum ; vix etiam apud mediocres scriptores perspici potest ejus deminutiva significatio.

10). « Inus, ina. » Valde quidem erret, si quis contendat suffixæ « inus, ina » fuisse olim admotam significationem vere deminutivam ; quoniam tamen per se ipsa notitiam injicit ad originem aut progeniem spectantem, ea jam erat qua posteri ad animalia minoris habitus aut corporis aut ætatis designanda uterentur. Sed latina lingua se intra priorem et antiquum sensum usque continuit. Ex. : « Antoninus, Calvininus, Crispinus, libertinus, amitina, » agninus, anatinus, divinus, sobrinus, Alpinus, Latinus, » lupinus, morticinus, paupertinus, vespertinus. » Ut vere dicam, adjectiva sunt omnia illa nomina.

11). « O-onis, onem ». In quibusdam romanicis linguis effectum est ut latina suffixa « o-onis » quasi intentiva haberetur. Quæ significatio, quanquam ab latino more originem non recte cepit, non tamen forte aut externa quadam consuetudine illata est ; jam enim pauca nomina in « o-onis » desinentia ita ab Romanis usurpata erant, ut insignem quamdam agendi facultatem, aut sæpius vitiosum pravumque hominem significarent. Sic « aleo, balatro, caupo, helluo, ganeo, palpo, prædo, popino ». Ab pejore sensu omnino abhorrent propria hominum nomina, qualia « Cato, Cicero, Nero, etc. »

12). « Cio — cionis — cionem » suffixa ex superiore oriunda deminutiva tantum nomina edit : « homuncio, Senecio. »

13). « Etum » collectiva est : « arboretum, cannetum, » lauretum, myrtetum, olivetum, rosetum, vinetum. » Declinata nomina ex suffixa « etum » profecta locum declarant ubi plurimæ arbores conseri solent.

14). « Aster, astra, astrum, » aliquid significat haud omnino simplicis ac primigenii verbi status simile : unde factum est ut sæpius in pejus verteretur ejusdem sensus : « Patraster, filiaster, pullastra, palliastrum, oleaster, oleas- » trum, pinaster, mentastrum, salicastrum. » Quanquam nomina hæc in « aster » exeuntia vel apud egregios scriptores reperiri solent, immerito tamen aliquis credat ea non ab pura dicendi ratione abesse : sunt enim ea ætate quæ media fit inter postremos rei romanæ annos et barbarorum incursus in imperii molem ruentium. Suffixam « aster » romanica lingua loquentes retinuerunt, sed pejorem semper sensum intenderunt.

15). « Issimus, issima, issimum » superlativam formam effingere solet.

CAPUT II

QUOTÆ INTER LATINAS SUFFIXAS APUD FRANCOGALLOS PERMANSERINT DEMONSTRANDUM ERIT

Ex tot deminutivis suffixis quas ab romanis hominibus frequentatas fuisse diximus, paucæ quidem apud francogallicam gentem permanserunt, nedum omnes ex usu fierent. Jam evanuere nomina in « olus, ola, olum, » ulus, ula, ulum » desinentia : nam « olus, ulus » suffixæ tono carebant ; quod si nonnulla civitatem, ut ita dicam, apud nos sunt consecuta, eadem sane minus ad sermonem

vere popularem pertinent, et doctorum virorum opera recentius importata sunt. Ea autem non modo parum recte informata sunt, sed et necesse fuit ut tonus loco suo moveretur et ex antepænultima in pænultimam transiret syllabam : sic « granúle » (granúlum pro gránulum) ; « ovúle » (ovúlum pro óvulum) ; « rotúle » (rotúla pro rótula), etc. Nam in plerisque vocabulis ad doctam originem pertinentibus, sic locum suum latinus tonus mutavit ut, secundum francogallicam consuetudinem, semper in pænultimam aut in ultimam syllabam caderet.

Alia in « olus » exeuntia perstiterunt vocabula ; quum vero paulo post eversum imperium romanum primigenia jam evanuissent, deminutiva « olus » forma ab deminutivo sensu discessit ; qua in re congruebant nova illa nomina cum sermonis nostri lege : si quod enim exoletum factum est primigenium, declinato nomini nunquam inest deminutiva significatio : unde vocabulis « aïeul » (= aviolus), « chevreuil » (= capreolus), « écureuil (= sciuriolus), « rossignol » (= lusciniolus), etc., quorum primigenia « avus, ca- » prea, sciurius, luscinia » antiquitus ab majoribus nostris omissa erant, deminutiva semper defuit significatio. Fieri quidem potest ut declinatum nomen leviter ab primigenii sensu discedat, sed non ideo fit deminutivum : gallicum scilicet nomen « filleul » non idem est ac latinum « filiolus » : in latino sermone « filiolus » quidem est quasi nostra vox « fils en bas âge, fils chéri ; « filleul » vero nostrum in iis rebus quæ ad christianam religionem pertinent pro « filius » usurpari solet.

Longe aliter de femininis nominibus in « ola » desinentibus se res habet : huic enim quamvis, ut superioribus, tonus deesset, deminutiva significatio servata est, sive per doctos homines in nostrum sermonem recentius excepta nomina sunt, sive ex aliena quadam lingua in francogallicam intromissa : de quibus infra disputabitur.

« Culus » quoque suffixa, quanquam tono destituta,

postquam apud Francogallos olim derelicta erat, rursus apud nos, adjuvantibus doctis, floruit.

Suffixarum contra « ellulus » atque « illulus » aut « ullulus » nulla restant vestigia ; sed « etum » ac præsertim « o-onis, inus », ut supra dictum est, in eo erant ut in majus excederent, prima collectivorum, ceteræ deminutivorum nominum vim daturæ.

Ex « cio-cionem suffixa prope nihil apud nos permansit ; « aster » contra, aliquantum ab antiqua significatione detorta, in pluribus adjectivis nominibus adhibita est, quorum nonnulla in malam partem abire solent.

Digna « culus, cula, culum » suffixa, quotiescumque vocalem litteram sequitur, cui intentum advertamus animum. Scilicet « aculus » particulæ, apud quotquot perstitit nomina, plerumque detractus est deminutivus sensus ; nostra enim vocabula in « ail » desinentia in primigeniorum ejusdem generis latinorum locum successerunt ; sed eadem non prætereunda existimo, quia sæpius in malam turpemque notionem abiere. Non est tamen quod credas nihil aliud quam « ail, aille » ex « aculus, acula » suffixa ortum esse, quippe quum, cadente aut evanescente vocali *u* littera post sonantem syllabam posita, « ac (u) lus », nonnunquam consecuta sit forma « acle », cui nihil deminutivi unquam affuit : « tabernacle » (= tabernac (u) lum). Haud aliter evenit de quibusdam nominibus ad suffixas « iculus, uculus » pertinentibus : sic « article » (= artic (u) lus), « oncle » (= avunc (u) lus), « carboncle » (= carbunc (u) « lus), « furuncle » (= furunc (u) lus), « cercle » (= circ (u) lus), « couvercle » (= cooperc (u) lum), etc. Res quidem illa non nova, nec quam ab Francogallis in linguam romanicam omnino illatam dicas : neminem enim fugit apud optimos clarrissimosque latini sermonis scriptores, præsertim apud poetas, « periclum, vinclum, sæcla » formas, ne plures referamus, minime esse raras.

Abiit et in declinatis nominibus ab suffixa « uculus,

» ucula, uculum » profectis deminutiva significatio : « genou » (=genuculum), olim in nostro sermone « genoil, genouil » ; « verrou » (=veruculum), etc. ; nam pro simplicibus et vere latinis « genu, veru » etc. partim exoletis deminutivam formam accessivere Francogalli, cui nihil aliud deminutivi superfuit nisi ipsa deminutiva forma. Simul tamen exstitere « fœnum » et « fœnuculum », « rana » et « ra- » nuncula », ex quibus apud nos etiam nunc restant « foin » et « fenouil », « raine » et « grenouille. » Sed vere dici solet paucissima exempla, si quando ex consuetudine et lege discurrant, nihil aliud valere nisi ut regulam confirment.

Verum idem dicere est de plurimis nostrorum vocabulorum ab latinis suffixis « eculus, ecula, eculum, iculus, » icula, iculum » (in *frgall.* serm. : « eil, ieu ». fem. « eille », aut « il », fem. « ille ») ortorum : ibi enim quum latinum nomen derelictum esset, francogallica forma deminutivo sensu vacua fuit : « arteil », olim usitatum (= articulus), « sommeil » (=somniculus), cujus tamen primigenium « somnus » jam apud nos nomen « somme » edidit ; « essieu » (= axiculus), « corbeille » (= corbicula), « chenille » (= canicula), « goupil » (= vulpeculus), etc.

Permansit in quibusdam vocabulis deminutiva significatio, aut, si quid verius enuntiare libet, forma « ille » numerosis nostri sermonis subjecta est minusculas res effingendi gratia. Tum vero eadem illa non recte credas ex latinis esse declinata, ut quæ recentius et per operam nostrorum hominum ex francogallicis verbis in dicendi consuetudinem translata sint. Mihi igitur assentiendum videtur si dixero deminutivam latinæ suffixæ « eculus, » iculus » significationem, quo tempore latinus in francogallicum sermonem verteretur, paulatim evanuisse. Cur tamen primigenium latinum sic apud majores nostros in oblivionem adductum sit notabile est, neque quidquam causæ facile subjeceris nisi quod animadvertas deminutivas formas sine dubio in honore fuisse quia longiores

essent et tonus clarius resonaret. Pro « sol, apis, cornix, » corbis, caprea » valuerunt in populari eloquio « soli- » culus, apicula, cornicula, corbicula, capreolus », quæ priorum partes aptissime susceperunt.

Quærenti vero qua potissimum ætate facta sit illa vocabulorum successio, rectissime respondebis non potuisse fieri ut subito ac quasi abrupte perficeretur : unde verisimile est longo temporis spatio novis servatam fuisse vocabulis deminutivam significationem ; quum tamen vel prima nostri sermonis monumenta investiganti ne unum quidem appareat nomen apud quod prior ac deminutivus sensus servetur, merito conjicitur vocabula in « eil, ieu, » eille, il, ille » exeuntia, quæ inter quintam nonamque ætatem in usum venisse constat, paucis ante nonam annis ab deminutiva significatione omnino discessisse.

Quæ supra diximus in suffixas « ellus, ella, ellum, illus, » illa, illum » referre queas : sæpius enim post exstinctum simplex nomen insecutum est alterum ac deminutivum, cui mox omnis deminutiva defuit notio : « anneau, flam- » beau, faisceau, gruau, oiseau, vaisseau, écuelle, saute- » relle », etc. In hoc tamen ab suffixis « eculus, iculus » distant « ellus, illus » quod multo plura vocabula in « eau, » el, elle » desinentia ab pristino usu non abfuerunt atque deminutiva haberi non desierunt : suffixæ « ellus, illus », quum sæpissime prioris sensus vim retinerent, plurimorum nominum effectrices fuere.

Quod si superioribus suffixam « issimus, issima, issi- » mum » adjicimus, quæ haud ita pridem doctorum opera ad informanda superlativa nomina adhibita est, jam completus erit suffixarum earum numerus quæ ex latino in galloromanum tandemque in francogallicum sermonem erant transituræ.

Huc summa judicii nostri spectat, ut, quo tempore romanica vulgo dicta lingua crearetur, perpaucœ ex latinis suffixis superessent, per quas deminutiva nomina effinge-

rentur. Nempe postquam pleraque declinatorum ad « ulus, » ula, ulum » pertinentium abierant; postquam suffixæ « olus, aculus, eculus, iculus. uculus » aut etiam « ellus, » illus » ab deminutiva significatione partim deflexerant, qui tandem verborum fontes exstabant, præter quos « culus » antecedente littera consomante, aut interdum « ellus, » illus », aut præsertim « inus, o-onis » atque « aster » suffixæ promere possent?

Talem sane copiam nemo non, ut in condenda nova lingua, perparvam dicat. Quæ igitur suffixarum ubertas veteri fundo sit adjuncta nunc explanaturi sumus.

CAPUT III

LATINÆ LINGUÆ CONSUETUDINEM « FRANCOGALLICUS » SERMO AMPLIFICAT, DEMINUTIVISQUE ILLIUS PARTICULIS NOVAS ADDIT EX QUIBUS DEMINUTIVAM, INTENTIVAM, FREQUENTATIVAM AUT MALAM SIGNIFICATIONEM PLURIMA VERBA ACCIPIANT.

Quum Galloramanorum congressio ac quotidianus prope usus fieret cum barbaris gentibus quæ undique in romanam molem impetum fecerant et in diversas imperii partes sese effuderant; in tanta rerum perturbatione qua Gallia Hispaniaque atque imprimis Italia penitus mutatæ in novum inusitatumque statum transierant, qui effici posset ut latinus sermo incolumis et incorruptus staret? Ut enim Romani Galliam, ne extra regionis nostræ fines egrediamur, invadentes occupantesque suam linguam secum attulerant, et in victos suas leges una cum moribus et institutis

transfuderant, sic barbari, summa rerum potiti, alteram morum ac legum sermonisque rationem adducturi videbantur. Sed ea est humani ingenii conditio ut populus humanitate perpolitus, vel postquam se libertate abdicavit, inconditi rudisque victoris consuetudinem aspernetur ac respuat, rursusque adversus dominos vi animi et mentis victoriam victoria repenset. Quid plura? Quo enim modo quondam capta Grœcia ferocem victorem ceperat, eodem Barbari, agreste quoddam et inhumanum vulgus, cultioribus Galloromanis cederent necesse erat, nedum instituta sermonemve imponerent. Paucissimi numero ac per tantam regionem disjecti, devictorum, quibuscum vitæ consuetudine commixti erant, lingua loqui coacti sunt. Sed præterquam quod linguam discere adeo ab patria dicendi ratione abhorrentem ac præcipue ab germano gutture alienam minime promptum fuit, diligenter curabant Germani ne avitum sermonem omnino omitterent, quo inter se uti solebant ac per quem victores plurimum a victis distabant : inde communis usus utriusque sermonis factus est, excepto tamen quod latinus, id est popularis loquendi modus, quum per vulgus ab militibus mercatoribusque romanis dudum inserpsisset, longe priores partes tenebat, ut vix pauca Germanorum verba Galloromani memoria servarent.

In ea igitur vocabulorum copia quam secum Barbari importaverant, multa fuere infecunda, utpote longius ab vulgari solitoque Galloromanorum eloquio discedentia, vel potissimum quia idem significabant atque latina jampridem apud omnes vigentia : unde sequitur ut inter germanas illæ tantum permanserint suffixæ quibus inerat latinæ consuetudini propemodum ignota notio. Non equidem contenderim minime aptum fuisse Romanorum sermonen ad pejorem, exempli causa, rerum aut hominum statum nuncupandum : quum tamen latina lingua loquentes illa creandi nomina facultate parcius adhuc usi essent, Germa-

norum contra sermo ejusdem multo feracior esse videretur, quid erat cur Germanum usum cum rerum necessitate congruentem homines nostri repudiarent ? Etenim constat olim matturrime per Galloromanos invaluisse Germanorum hæc nomina in « hart » aut « wald » exeuntia, quæ ad homines designandos potissimum pertinerent et aliquid vituperationis aut mali jam includerent.

Exempli tantum gratia unam aut alteram hanc suffixam attuli; sed nemo nescit plures etiam ad similitudinem germanarum fuisse expressas. Sic paulatim ac quasi haud intermisso gradu mutata est lingua latina, quum huc incumberent Germani atque vocabulorum inopia atque ea ipsa uniuscujusque sermonis conditio qua neque immotus neque immutabilis fieri potest ac continuo suas ipsius fines retrahit aut profert. Commixtis varia origine gentibus novisque cogitationibus per vulgus manantibus, facile intelligitur cur et quomodo romanicæ linguæ declinatorum nominum sint copiosiores quam quæ ipsas genuit, quanquam primigeniis multo minus locupletes.

Postquam enim plurima primigenia evanuerant, sive, ut supra jam dictum est, propter exiguitatem suam, sive qualibet alia de causa, in id incitati erant Francogalli ut inopiam illam copia declinatorum repensarent. Adde quod, in tanto populorum inter se obluctantium tumultu, multa certamina, multa calamitates fiebant multique animi sensus oriebantur, totam seriem ab summa voluptate aut lætitia usque ad cruciatum rabiemque explentes : unde copiosus ille vocabulorum proventus, quæ mox ad mirationem contemptionemve, mox ad caritatem odiumque pertinerent. Quæ nomina res aut « minores » aut « majores » antea declarabant, eadem illa magnopere aucta sunt numero ; quum præterea cum notitia « parvæ » cujusdam rei arctissime cohæreat « perparvæ » aut « inanis » aut « vilis » aut « aspernandæ » ejusdem notio, atque rursus nonnihil « blandi » rerum tenuitati accedat; quum denique ab

« magna statura, magnitudine aut amplitudine » non procul absit « deformitas » aut « depravatio », quæ omnia latinus sermo sua vocabulorum copia parum effingebat, novo quodam nominum partu fuit utendum. Superfuerunt illæ Latinorum suffixæ quæ vetustate nondum exoleverant; paucæ plus minusve ab antiquo sensu detortæ vocabula plurima dederunt, plures tandem omnino novæ aut saltem cum latino sermone minus cohærentes præstiterunt ut una continuatione tota series ab summa exiguitate ad maximam amplitudinem impleretur. Quæ apud nos permanserint antea dijudicavimus : Ceteris studeamus.

Jam compertum habemus pro quibusdam primigeniis in usum venisse porrectam deminutivamque eorumdem formam, quin tamen novis vocabulis deminutiva significatio adesset : in locum vocabulorum « ren, mentum », si et aliis exemplis opus est, successerunt minime deminutiva « renionem, mentonem » ; sæpius vero res aliter se habuit ; eadem enim latina suffixa « o-onis-onem » adeo non infecunda fuit, ut contra ingentem nominum copiam ediderit aut deminutivorum aut etiam in malam partem abeuntium. Ibi quidem deprehendas licet ab Francogallis latinam consuetudinem jam amplificatam. Constat vero idem de latina suffixa « inus » evenisse : quæ quum adjectiva nomina in memoriam hominum rerumve originem tantum revocantia promeret, plurimorum deminutivorum apud nos fons fuit sæpeque in pessimam significationem cecidit.

Nihil tamen adhuc novum vel inusitatum factum fuerat : in superioribus enim exemplis ab latino more recentiora nomina parum absunt; ecce vero quasi suffixarum agmen a primitivo sensu plane discedunt : primum omnium suffixæ « aceus, icius, uceus » adsunt, quarum exempla videre est in adjectivis nominibus « arenaceus, gallinaceus, » adventicius, facticius, pannuceus. » Nullam quidem unquam, quo tempore boni scriptores vigebant, significatio-

nem admiserant, quæ ad deminutivam aut pejorem rerum speciem statumque spectaret; vix conjicias, propter *C* litteram, eis quamdam inesse vim deminutivam; sed in recentiore lingua valde mutata est earum suffixarum conditio : nam præterquam quod in populari sermone longe fertiliores declinatorum factæ sunt : « fraticius, liliaceus, » sementicius, septicius, simulaticius, siliginaceus, vina- » ceus », etc., suffixa « aceus », ut ordine quodam disputemus, multo latius quam apud Romanos valuit : quum olim adjectivis nominibus esset subjecta et quamdam originis speciem effingeret, intentivam aut rursus deminutivam significationem assumpsit quacum interdum non nihil contemptionis conjunctum est : « fatras, lavasse, populace, » bestiasse », etc.

« Icius » in collectivum abiit sensum, femininaque « icia » particula in nostro sermone plus minusve recte « iche » genuit, quæ sæpius deminutiva, nonnunquam contemptrix habetur.

Deminutivum quoque sensum assumpsit « uceus, ucea, » uceum », sed pro ea haud semel « oceus, ocea, oceum » ut intentivam sermo novus retinuit ; dudum tamen « oceus » apud litteratos homines exoleverat : unde a doctis quibusdam viris jure dictum est integrius in populari Latinorum eloquio servatam fuisse veterem dicendi rationem.

Suffixa « bundus » neque deminutiva neque intentiva aut collectiva apud Romanos erat; sed prioris sensus oblita, apud quæ edidit nomina numero paucissima, primigenio pejus aliquid addidit.

Sic suffixa « utus, uta, utum », vix apud Latinos nota in effingendis participiis apud Galloromanos et Francogallos frequentata est ; quorum pleraque in materiem nostram non cadunt ; sed paulo recentius quædam, quum adjectiva aut substantiva nomina facta essent, non nihil intentivi interdumque mali sensus acceperunt, ideoque digna sunt quibus studeamus.

Paucis tandem enuntiemus suffixas « ia, or-orem », quarum prior per mediam particulam « er » novissime apud nos collectiva aut in malam partem abeuntia nomina, altera vero (= francogall. « eur »), falso « eux » quasi de suffixa « osus » ageretur, perpauca malæ significationis vocabula edidit.

Supra jam monstravimus non periisse « aculus, eculus, » iculus », atque ab eis ortas fuisse suffixas « ail, aille, » eil, eille, il, ille » ; sed et aliam originem sibi vindicant multa francogallica nomina in « aille » desinentia. Nam inter adjectiva ad « alis, ilis » pertinentia, multa plurali numero neutroque genere tantum usa, quasi nominativus fuisset feminina forma « alia-aliæ, ilia-iliæ » in collectiva nomina mutata sunt : qui modus vocabula creandi, ut omnino inauditus, sic latissime profusus est. Nusquam latino usu sermo noster plenius abusus est ; sed alia quoque exempla invenias : eodem enim fere modo feminina « anea » suffixa ita ab priore significatione discessit, ut collectiva nomina in « agne » desinentia protulerit.

Vix operæ pretium est memorare antiquitus in nostro sermone velut apud Latinos plures suffixas connecti solitas fuisse, unde vere deminutiva evaderent nomina : qua in re nihil ex veteri more mutatum est, nisi quod apud nos multo crebrius illud fuit.

Veniamus tandem ad fecundissimum declinatorum vocabulorum fontem, suffixas dico « at, et, ot », fem. « ette, » otte », de quarum origine inter se adhuc dissentiunt docti. Non tantum apud Francogallos, sed et apud ceteras « romanicas gentes », excepta duntaxat quæ hodie « Rou» mania » dicta Danubium accolit, ex usu sunt. Quæ antea de eisdem disputata sint, infra requiremus ; et quoniam etiam nunc « sub judice lis est », nobis quoque sententiam proferre licebit. Satis interim habeamus declarare nullas esse frequentiores quam « et, ette, ot, otte » suffixas,

easque adeo antiquas esse, ut jam apud prima sermonis nostri monumenta scripta appareant.

Sic immutatæ sunt Latinorum suffixæ, sic a majoribus nostris valde amplificata superioris ætatis consuetudine atque omissis quæ parvi incrementi fore videbantur, aut tandem arcessitis pluribus varia origine suffixis, sermoni nostro accessit ea deminutivorum aut intentivorum aut collectivorum aut in malam partem abeuntium nominum copia quæ veteribus ipsis Romanis mirationem et invidiam injiciat.

Reliquum est ut singulis suffixis studeamus. Vellemus quidem eas certo ordine disponere, prius intentivas, collectivas et si quæ pejus aliquid primigenii significationi addunt; deinde deminutivas enumerando. Sed ut facilius perspici possit quonam modo suffixæ illæ nostræ ab initio sermonis nostri paulatim in lucem editæ sint, clarius seriem disponemus ab latinis profecti, deinde eas inquirentes quæ cum germano aut externo quolibet fonte congruunt.

CAPUT IV

QUÆ SINT IN NOMINIBUS DEMINUTIVÆ, INTENTIVÆ, FREQUENTATIVÆ AUT MALÆ SIGNIFICATIONIS SUFFIXÆ; QUAM DICAS SINGULARUM ORIGINEM.

I. LAT. ACEUS, ACEA, ACEUM (frgall. *as, ace, asse, ache*). — Cum latina suffixa « aceus, acea, aceum » aut etiam « atius, atia, atium » plus minusve recte congruunt nostræ « as, ace, asse, ache. » Apud omnes constat « aceus, acea,

» aceum » in populari vulgarique Galloromanorum lingua, ut plerumque finalem syllabam « eus, ea, eum, » factas fuisse « acius, acia, acium » (cf. « commiatus » pro « com- » meatus, » unde nostrum « congé ; hordium » pro « hor- » deum, » unde apud nos « orge ; lania » pro « lanea, » unde « lange, » etc).

Quod si tuæ memoriæ recurrit « acius » ab « atius » minime distare, nihil miraberis cur ex « aceus » simulque ex « atius » idem evaserit, id est « as, ace, asse. » Ab masculina forma « acius » profectum est « as ; » ab feminina « acia » nostrum « ace, asse. » Unde vero profecta sit dissimilitudo hæc scribendi, haud facile quisquam discernat : quod enim vocabulum, exempli gratia, nunc apud nos « bonace » notatur, illud idem apud homines sextæ decimæ ætatis « bonasse » notari solebat : cf provinc. « bonassa, » italumque « bonaccia » ex quo nomen nostrum « bonace » originem traxisse videtur. Notandum tamen prius « ace » inscriptum fuisse. Alia quidem et numero frequentia sine ullo dubio ex latino fonte fluunt, sed apud illa permansit « a » latinum contra quam fieri solet, quoniam syllabam « ci » præcedit, quæ idem efficit atque duæ consonantes.

Cum latina suffixa « acia » convenit quoque nostra « ache » : cur tamen aut quomodo altera hæc forma ab eadem latina forma orta? Vere francogallica est « asse, » ace, » ut supra jam dictum est ; nempe hæc est loquendi norma, ut ex « ci » vel « ti » ante vocalem litteram posito nihil aliud consequatur nisi « c » dulcis consonans littera vel « s » surda, plerumque « ss ».

In sola Picardorum Normannorumque regione « ci, ti » + vocalis littera edidit « ch.; » sed nomina in « ache » desinentia adeo recentia sunt apud nos, ut cum picardica dialecto minime convenire queant : quum enim post ætatem decimam tertiam dialectus illa obsolescere cæpisset neque jam reliquo tempore in ratione sermonis nostri

habendi multum valere posset, qui fieri poterat ut, mutata regula, ex « acia » promeretur « ache » in locum solitæ suffixæ « ace, asse » succedens? Jure forsam referas « ache » ad italicam originem : hujus enim generis nomina adeo non ab ultima antiquitate repetita sunt, ut contra vix sub fine quintæ decimæ ætatis nata sint. Nullum autem fugit per plurima illa bella quæ reges nostri Carolus VIII, Ludovicus XII, Franciscusque primus trans Alpes gesserunt, mores simul et Italorum linguam apud Gallos percrebuisse, atque sæpius nonnihil in pronuntiandis litteris nostris fuisse immutatum.

Sed ad exemplar verborum illorum origine externorum postea creata sunt alia quo tempore jam ita usu valebat suffixa « ache, » ut apnd nos prope patria fieret.

Suffixarum « as, asse (ace), ache » significatio non eadem est : unde singulas ordine perspiciamus necesse est.

α). AS. — Olim quasi intentivam « as » suffixam fuisse existimo, sed sensus hic multum decrevit ; rarissime pejor notio ejusmodi vocabulis subjunctum est : *bourras* tamen ex nostro « bourre » ortum crassam vilemque telam declarat, neque ita ab mala significatione longe abest. Vetus autem et vere populare « bourras, » nam in XIII[a] ætate jam scriptum invenitur : « borras, » Rose, 1217 (1).

In contrariam partem rapi solet *fatras* (= lat. « fatra- » ceus » pro « fartaceus, » ex « fartus ») et dissimilium inter se rerum inconditum significat congestum. Jam in XV[a] ætate « fatras » erat. In glossario suo francogallicæ linguæ anquirit Littré num plane sit confidendum latino « fartaceus; » commemorat enim unum exemplum « fastrasie » quod propter « s » litteram cum « fartaceus »

(1) Plurima exemplorum quæ in libro hoc nostro invenire erit ex nostri Littré Glossario assumpta sunt.

parum congruere videtur ; adeo tamen cum latino « fartus » nostri nominis « fatras » sensus consentit, ut « fartaceus » admittere non dubitem. Sequentibus quoque his vocabulis adest aliquid malæ significationis : *embarras* (vet. francogall. « barre »); *plâtras* (quondam « plastras, » ex nostro « plastre, plâtre »).

Intentiva tantum sunt : *coutelas* (ex frgall. « coutel »), olim « coutelasse » etiamque « coutelesse. » *Echalas* (olim « eschalas, » ex lat. « excarratium ; » cf. græcum χάραξ = vallus, frgall. « pieu », minime declinatum nomen habendum est.

Cannelas (ex frgall. « cannelle ») neque in vitio ponitur neque quidquam majus sibi assumit ; sic et *canevas*, quod ex « cannabis » reapse profectum est. Doctum esse videtur nomen « canevas, » nam popularis ejus forma in vocabulis « chanevacier, chanvenas » apparet. (Vide Littré.) *Cadenas* ad italicum « catenaccio » respondet.

Ad eamdem seriem non pertinent : *cervelas*, ex italico « cervellata » in XVI[a] ætate ortum, atque rectius olim *cervelat* scriptum. Collectivus ejus est sensus ; *chasselas* (?); *galetas* olim proprium nomen ad turrim urbis Constantinopolis, deinde ad quamdam domus partem pertinens ; *haras* olim rectius *faras* (arabicum « faras ») ; *lilas* (hispan. « lilac ») ; *matelas* (arab. « el matrah ») ; *madras* (ex urbe « madras ») ; *tracas* « verbale » nomen ab nostro « tracasser » ortum. In verbo « tracasser » germanum « trekken » invenias, cui adjecta est suffixa « as, ass » in malam partem abiens ; *taffetas* (persic. « tafteh ») ; *verglas* (pro « verre + glace »).

Ex iis quæ supra dicta sunt facile intelligi potest nonnullis in « as » desinentibus sæpius deesse primigenium ; postquam enim ab latinis vocabulis pauca frgallica extracta sunt, sermo noster, eis ut exemplaribus usus, francogallicis nominibus suffixam eamdem adjunxit et inde alia declinata informavit, « plâtras (plâtre), bourras (bourre) ».

Quæ quidem creandi vocabula ratio tam multis suffixis aptata est ut ingentem declinatorum copiam inspicienti tibi non minor francogallicus quam latinus fons esse videatur.

β). Asse, ace. — Aliquid contemptionis includit ea suffixa. Cum adjectivis nominibus nonnunquam conjungitur et in effingendis declinatis adhibita est quæ, postquam olim tantum adjectiva fuere, nunc vere substantiva habentur. Sic *bonasse* (bon); *blondasse* (blond); *cocasse* (?); *fadasse* (fade); *hommasse* (homme); *laidasse* (laid); *mollasse* (mol); *savantasse* (savant). Omnino francogallica hæc nomina, nec quæ ad latinum quodquam vocabulum referas. Paulo ante XVI[am] ætatem ea exstitisse vix comperias. Pro « savantasse » majores nostri *savantas* scribebant :

« De tous ces savantas qui ne sont bons à rien » (Molière, *les Fâcheux*, III, 3).

Sæpius cum substantivis seu francogallicis, seu latinis, seu germanicis accommodatur suffixa « asse » : inde evadunt nova nomina et feminina et pejorem in partem abeuntia : *bestiasse* (lat. « bestia »); *bagasse* (lat. « baga » pro « bacca »; cf. p. « baguenaude »); *brouillasse*, altera forma vocabuli nostri « brouillard », quod olim « brouillas » vel « brouas » scribi solebat; primigenium, ut jure Diez suspicatus est, germanum « brodem » esse videtur; parum frequens hodie fit « brouillasse », ejusque sensus est : « brouillard peu épais. » Viget adhuc « brouillas » apud rusticos Campaniæ nostræ veteris provinciæ homines; *cognasse* (frgall. « coing »), apud nos : « petit coing sauvage »; *grimace* (germ. « grima = persona », frgall. « masque, contorsion du visage »; aut forsan ex germ. « grim = iratus, furiosus »; utcumque modo se res habet, minime dubitandum est quin ex germano quodam primigenio « grim » nostrum « grimace » ortum sit); *populace*, olim quoque « populasse » (lat. « populus »), ab doctis informatum fuisse videtur; *lavasse* (laver) olim quoque « lavace » (apud Cotgrave); in quibusdam Galliæ regionibus, quæ

præcipue ad orientem spectant, exstat et vocabulum « relavasse » (ex « relaver »), id est parva vini copia quæ cum nimia aqua commisceri solet; *tétasses* (in nostro sermone : « mamelles flasques et pendantes », ex frgall. « tette »); *tignasse* (« tigne » aut « teigne ») ; *villace* olim « villasse », urbs incomposite ædificata (ville); *vinasse* (vin, vinum), vinum cui vis omnis deest.

Apud alia nomina in « ace, asse » desinentia suffixa « asse » jam non quidquam aspernandum, sed tantum rerum amplificationem præbet ; quæ quidem vocabula ex substantivis aut verbis profecta sunt : *bécasse* (bec) ; *crevasse* jam in XII^a ætate « crevace » (crever); *galéace* aut *galéasse* (vet. frgall. « galée », grœcum γαλῆ; *milliasse* (millia), quod idem significat ac nostrum « trillon = mille milliards » ; *rosace* (rose) ; *traînasse* (traîner). Haud intentivum *fouace* (= focacium).

Nonnulla tandem collectiva sunt, neque, ut superiora, in malam partem abeunt : *filasse* (fil) ; *liasse* (lier) ; *paillasse* (paille); *terrasse* (terre); *tirasse* (tirer); *paperasse* tamen (papier) a quibusdam in XVI^a ætate « paperat » quoque pro « paperas » scriptum in utramque venit significationem; *colombasse* nihil aliud quam primigenii similitudinem animo injicit; intentivum aut collectivum vocabuli *cuirasse* sensum vix hodie percipias ; idem de *culasse* dicendum est.

Ad fontem neque latinum neque francogallicum accedunt : *carcasse* (ital. « carcassa »), quod in pessimam partem abit ; *calebasse* (hispan. « calabaza) ; *cordace* ab doctis ex grœco κόρδαξ illatum ; *pinasse*, *pinace* (ital. « pinaccia »).

γ). Ache. — Non semper ac necessario malam aut intentivam significationem « ache » suffixa per se continet ; rectius forsan dicas eam paulatim omnino evanuisse : *gouache* (ital. « guazzo ») ; *moustache* (ex ital. « mostaccio » ; cf. grœcum μύσταξ, cui sensus idem inest) : *panache* (= ital. « pennacchio », ex lat. penna) non multum

ab collectiva significatione abest; jamque ab XV[a] ætate in scriptis apparet. Cur vero « panache » pro « pennache », nisi quod, apud plebem, latina vocabula « penna » et « pannus » quasi promiscua fuere? Scilicet in XV[a] ætate jam videre est « panache », sed haud semel in XVI[a] ætate « pennache »; *patache* olim navicula habebatur; obscurum quidem primigenium est et ab hispanico sermone inductum videtur; *pistache* respondet ad lat. « pistacium », quod ipsum cum grœcosyriaco πιστάκιον conferri potest; sed, ut cetera ejusdem generis nomina, non ex francogallico fonte fluit.

Rondache olim sæpe masculinum, nunc tantum femininum nomen ad reliquorum similitudinem ex nostro « rond » informatum est; sic et *soutache*, cui nonnihil inest collectivi.

Bravache (ital. « bravaccio »), *gavache* (hispan. « gavacho »), *ganache* (ital. « ganascia ») in malam abeunt partem; *mordache* (ex frgall. « mordre ») intentivum est; *Bourrache* olim in XIII[a] ætate « borrace » minime ad latinum francogallicumve fontem accedit, nam verisimile est latinum « borraginem » ad similitudinem nostri « borrace » recentius fuisse informatum. Vocabuli *escache* origo obscura est.

2) Lat. ICEUS, ICEA, OCEA, UCEA, francogall. IS, ICHE, OCHE, UCHE.

Consulto quidem post suffixas « as, asse, ace, ache » confestim admovimus « is, iche, oche, uche », quoniam hæ quoque, utpote cum suffixis « icius, icia, ocea, ucea » congruentes ad latinam finalitatem « cius, cia, cium, tius, tia, tium » pertinent.

Ut vero supra monstravimus fieri non potuisse ut « ache » ex populari ac vere francogallica origine evaderet, sic suspicamur ab externo quodam fonte suffixas « iche, oche, uche » profectas esse. Sed de singulis illud utilius disputandum erit. In hoc tamen inter se congruunt

« is, iche, oche, uche » quod declinata nomina inde informata ex verbis aut substantivis oriri solent.

α). IS. — Is masculina forma est ab suffixa « icius » (1) orta : i propter c et i sequens cui tonus deest servatum est. Hujus seriei vocabula sæpius ex verbis exeunt leviterque collectiva sunt. Feminina forma « isse » exstat.

Perpauca recte ex latinis vocabulis in « icius » desinentibus assumpta sunt : *abatis,* quod rectius scribatur « abattis » (cf. nostrum « abattre »), olim abateïs (chanson d'Antioche, VI, 93, XII[a] ætate), quod ad lat. « abatticius » respondet (2) ; *appentis* (lat. « appendicium ») ; *logis,* olim « logeïs » (ex frgall. loger per suffixam « aticius ») ; *palis* (= palicium) ; *panaris* (= panaricium) ; *pelisse* (= pellicia); *pâquis* olim « pasquis » (ex declinato quodam latino per verbum « pascere » informato) ; *saucisse* (salsicia) ; *tortis* (lat. « tortitius, » ex « tortum, torquere ») olim pro « tæda » adhibitum fuit.

Cetera nomina, numero quidem præstantia, vere francogallica sunt, ut quæ propter priorum illorum similitudinem per francogallica verba aut substantiva atque suffixam nostram « is » informata sint : *arrachis* (arracher); *brûlis* (brûler), hodie rarum ; *cassis* (casser), id est « rivu- » lus inter fracta saxa fluens ; » *chamaillis* (francogall. « chamailler ») in malam partem abit ut primigenium « chamailler ; » *châssis* (châsse) ; *cailloutis* (« caillouter, » quod falso sic inscriptum est, quasi ex « caillout » ortum sit) ; *cliquetis* (cliqueter) ; *coloris* (colorer) ; *couchis* (coucher) ; *coulis* (couler), olim « coleïs » ; *éboulis* (ébouler) ; *feuilletis* (feuillet) ; *frottis* (frotter) ; *fouillis* (fouiller) in pessimam partem abit ; sic et *gâchis* (gâcher) ; *gazouillis* (gazouiller) ; *glacis* (glace) ; *guillochis* (guilloche) ; *hachis* (hacher) ; *lavis* (laver) ; *machecoulis* aut *machicoulis*

---

(1) In qua prior i littera brevis est et tono sonat.

(2) Cf. Darmesteter : *La Protonique en français,* Romania V, (p. 140-164).

(coulis?); *patrouillis* (patrouille); *perchis* (perche); *pilotis* (pile + ot); *plaquis* (plaque); *ramassis* (ramasser) in malam partem abit multaque incomposito ordine collecta in animum injicit; *roulis* (rouler); *taillis* (tailler); *treillis* olim « treslis » sine dubio ex « translicium » ortum est, sed jure notat Littré apud Glossarium suum ejusdem sensum haud multum distare ab nostro « treille » (= trichila); *troussis* (trousser); *taudis* (vet. frgall. verbum « taudir »); olim nihil aliud erat « taudis » quam opus quo oppidi cujusdam obsessores tegi solebant; nunc in malam partem abit, crassumque et inconditum conclave significat; *torchis* (torcher), olim « torcheïs, » ut supra « logis, » logeïs, » ab declinato latino in « aticius » exeunte ortum est; pro « tæda » primum fuit habitum.

Chablis recte ortum est ab latino « capulum » per declinatum « cap (u) licius, » nisi mavis illud referre ad francogallicum « caable, cheable » = lat. « cadabulum, » græcum καταβολή : nam arctissime inter se commixta sunt « capulum » et « cadabulum, » ut ex veteri vocabulo nostro « cheable » apparet. Haud omnino recens est « chablis, » quoniam per vetus et vere francogallicum « cheable », non per recentius « câble » informatum est.

Clapis (germ. « Kraffen ») prope intentivum est.

Ad suffixam « is » (= lat. « icius, iceus ») non pertinent : *chenevis* (= camabisium); *parvis* (= paradisum), olim « paraïs, pareïs; » *paradis* ab doctis ex eodem « paradi- » sus » informatum; *pourpris* (= pour + pris); *souris* (= lat. « soricem (1) »): *torticolis* sic immerito inscriptum pro « torticoli » (ex duobus latinis vocabulis « tortum » + collum, sed ab Italis assumptum) (2).

β). ICHE. — Suffixa hæc plerumque deminutiva est : *babiche*, injuria dictum pro *barbiche*, quod ad fictum

(1) In quo i longum est et tono sonat.
(2) Cf. apud Rabelais, Pantag. II, 30 : torty coly.

quoddam vocabulum « barbicea, barbicia » respondet, ex lat. « barba, » frgall. « barbe » ; *bouliche* (« bullicea, » frgall. « boule? » ; *bourriche* (frgall. « bourre ») ; *caniche* (lat. « canis ») ; *corniche* (ital. « corniccio, » ex lat. « cornu »), olim quoque « cornice, cornise ; » *levriche* (lat. « leporem, » frgall. « lièvre ») ; *pastiche* (ital. « pasticcio »); *postiche* (ital. « posticcio ») ; *pouliche* (lat. « pullus »). Dubitari non potest quin vocabula illa cum primigeniis in « icia » desinentibus congruant; quum vero recentiora sint, atque ex « icia » non « iche, » sed vere « ice, isse » apud antiqua et popularia nomina oriri soleat, externam quamdam originem respiciamus necesse est ; quæ autem fuerit illa difficile quisquam explanet; sed forsan a vero non multum distabo si conjecero « iche » ad exemplum suffixarum « ache, oche » francogallicis nominibus adjunctum fuisse : qua in re italica lingua maximi fuit momenti.

Suffixam « iche » non agnoscas apud *fétiche* (portug. « feitiço ») ; *hémistiche* (= græc. ἡμί + στίχος), atque forsan *friche* (?).

γ). OCHE. — Interdum intentiva suffixa hæc : *bamboche* (ital. « bamboccio = poupée » ; cf. nostrum « bambin ») ; priori significationi (= grande marionnette) accessit apud vulgus altera quæ in malam partem abit (= perpotatio) ; *fantoche* (ital. « fantoccio »); adjectivum quoque nomen pro nostro « bizarre » habetur ; *mailloche* (intentivum vocabulum ab francogallico « mail » = lat. « malleus » ortum) jam in XV^{a} ætate valebat (1) ; *sacoche* (ital. « saccoccia »); *taloche* perobscura origine est; exstitit olim vocab. quoddam « taloche = clypeus ; » nunc etiam illud idem significat tenuem axiculum quo ad diducendum madidum gypsum utuntur ; nostrum autem « taloche = ictus capiti

(1) Cf. apud du Cange vocabulum mailhetus.

desuper illatus » ab primigenio « tal » ortum est quod a latino « talus = talon » discrepare non videtur : quid enim aliud est « une taloche » quam ictus in caput decidens, velut si talus subjacenti cuidam rei imprimatur ?

Caboche jam in XII^a^ ætate « caboce » temere inspicienti originem suam non trahere ab externo quoquam vocabulo videtur, nam popularis est illa vox, neque ullum fugit memoria ducis « Caboche » qui jam in XIV^a^ ætate hominibus ex se cognominatis « Cabochiens » præerat ; pluribus tamen de causis negamus vere francogallicum esse « caboche » : quo enim tempore ex usu fieri cæptum est, « ca » latinum in « cha » vel « che » mutatum erat, nisi picardicam solummodo dialectum respicias ; suffixa autem « ocia » et inde « oche » non tantum ab picardica sed vere ab tota francogallica consuetudine abest : facilius justiusque ad ital. « capocchia » accedit, quod, ut nostrum vocabulum, ab ital. « capo » (= caput) per « capocea, capocia » ortum est.

Galoche, id est calceamenti quoddam genus, nihil contemnendi secum affert. Diu de illius origine controversia fuit; Diez et Littré doctissimis viris placuit tandem « gallocea, » quasi « galoche » nostrum olim apud Gallos, quum caderet imber, solitus fuisset calceus; sensus autem ita convenit ut nihil subtilius videatur. Animadvertit præterea Littré pro nostro « gallique » exstitisse olim « galesche = » gallicius. » Quid obstabat quominus ex « gallocea » fieret « galoche? » Meminerimus tamen oportet rarius suffixis « oceus, ocea, oceum, ocius, ocia, ocium » usos fuisse majores nostros, quam ut tali huic origini plane confidamus ; ad italicum « galoscia » confugere tamen minime possumus, quoniam verisimile est illud idem ab nostro ipso « galoche » fuisse ortum ; itaque Scheler, omisso « gallocia » latino, ad lat. « calopedia » (cf. græcum καλοπὲδιον = « soulier de bois ») conversus est : nihil

enim impedit quin ex « calopedia, calop'dia, calopia, calopja » fieret « galoche, » si quidem ex « sapiam » exire potuit « sache. » Littré quidem notat « galoche » ab nostro « sabot » sensu multum distare, sed conjecturam facio quondam fuisse « galoche » calceamenti genus quoddam quo pedes ab aqua defenderentur, deinde calceamentum ex corio fictum ; quod sane tibi verisimilius fiet si reputas sæpius apud plebem hodie « galoche » esse quamdam udonis speciem alii calceo superinducti.

Exoletum *guenoche*, id est « divina anus », ab eodem principio ortum ac « guenon. »

Apud alia vocabula per suffixam « oche informata vix intentivam significationem deprehendas : *besoche*, diu « besog » inscriptum, ex primigenio quodam « besse » profectum est, quod antiquitus pro nostro « besche, bêche » fuit ; ad exemplum ceterorum nominum in « oche » desinentium expressum est, ut opinor, « besoche », olim quoque « besoiche » dictum ; *épinoche* (épine), nunc « pisci- » culus », olim idem significabat atque hodie nostrum « épinard », inscriptumque « espinoche » erat. Littré notat picardicum « espinoke », quod cum lat. suffixa « ocia » parum congruit ; unde nobis subit in hoc vocabulo, ut in aliis quibusdam factam fuisse suffixæ mutationem : « oca » pro « ocia » ; *filoche* (fil) ; *pioche* ex primigenio « pic » per suffixam « oca » pro « ocia. »

Ad suffixam « *ocia*, *ocea* » minime pertinet *basoche* » (= lat. » basilica » : vide Littré et Brachet).

Obscurus fons nostri *brioche*, quod non modo quoddam placentæ genus significat, sed et in populari sermone ad ea relatum est quæ stulte aut inepte acta sunt.

δ). UCHE. — Suffixa hæc, si ad originem spectas, deminutiva est : *guenuche* (in sermone nostro « petite guenon »), recentius vocabulum, quod merito dicas ad exemplum nominum in « oche » desinentium informatum ; *perruche*, altera forma nostri « perruque » : unde confirmatur apud

nos nonnulla ex vocabulis in « ache, iche, oche, uche », exeuntibus per suffixas « aca, ica, oca, uca », non vero per « acea, icea, ocea, ucea » fuisse composita. Idem comprobare videtur *freluche*, cujus primigenium obscurum est : nam olim pro « freluche » utebantur quoque majores nostri vocabulis « freloque » et « freluque » ; sic in *fanfreluche* (ital. « fanfaluca), olim « fanfelue .» (1).

Quædam nomina deminutivo sensu omnino carent : *baudruche* (vet. frgall. « baudrée ; cf. « baudrier », olim « baldrei » = germ. « balderich ») ; *breluche* jure confertur cum « breloque », (germ. loc. = pendens aliquid) ; propter germanam originem exstitit « breloque » non « breloche » ; sed « breluche », non « breluque », seu ceterorum exemplo, seu per suffixam « uca » pro « ucea » ; *coqueluche* (cuculluccia, cuculluca) ; *peluche* (ital. « peluccio », lat. « pellis ») ; *capeluche* inscriptum quoque « capuce » (ital. « cappuccio ») intentivum est.

Autruche (= « avis struthio, avisstruccio » ; ital. « struzzo = struthio = græcum στρουθίων), apud Palsgrave « astruce » aut « austruche » scriptum, non declinatum est vocabulum, sed verius coagmentatum ; ejus significatio intentiva est.

Contractis quæ de suffixis nostris in « oche, uche » exeuntibus disputata sunt, verisimile fit, ut supra conjecimus, eas ex francogallico fonte non ortas esse, et pleraque hæc nomina ad italicam originem referenda.

3). LATINÆ SUFF. ACULUS, ACULA, ALIA, ECULUS, ICULUS, ICULA, ILIA, UCULUS, UCULA, FRANCOGALLICÆ, AIL, AILLE, EIL, IL, IEU, ILLE, OU, OUILLE. — Haud temere in unum locum tot suffixas contraximus, quamquam multum inter se sensu distant, neque omnibus eadem inest vis deminutiva : francogallicæ enim « ail, aille, eil,

(1) Cf. apud Littré, vocabulum fanfreluche.

» il, ieu, ille, ou, ouille » suffixæ universæ pertinent ad deminutivam Latinorum particulam « culus, cula, culum, » nisi quod cum suffixis « aculus, eculus, iculus, acula, » ecula, icula, » coadjunctæ ac quasi intermixtæ sunt aliæ suffixæ « alia, ilia, » ex quibus, ut ex « acula, ecula, » icula » ortæ sunt apud nos suffixæ « aille, ille. » Sed quoniam pluribus de causis suffixæ illæ dispares fiunt, de singulis ordine disputabimus.

1° LAT. ACULUM, « francogall. » AIL. — In suffixa latina « aculum (1), aclum » *a* vocalis littera, agente consonnantis *c* vi, in diphthongum « ai » versa est, unde « ail = aculum. » Notabile est in « ail » suffixa adeo evanuisse deminutivam significationem, ut contra plerumque collectiva sint nomina inde profecta; neque etiam immerito dicas interdum pejorem addi sensum. Adsunt exempla : *gouvernail* (= gubernaculum), jam in XII^a^ ætate « guvernail, » Th. le martir, v. 3,225 fol. 37, a. 10; nominat. sg atque accus. plur. erant olim « governaus, « guvernaus » (cf. exempla apud Littré); *soupirail* olim « souspirail » (ex « suspirare, » quasi per « suspiraculum »); *vantail* aut rectius « ventail (= ventaculum); » majores nostri scribebant *ventaille* (= femin. « ventacula »); *travail* (= trabaculum), proprie compages quædam qua trabes inter se conjunguntur ut ferocioribus equis soleæ indui possint. Significationi huic facile successit altera : « gravis quidam labor »; *poitrail* (= « pectoraculum, » non « pectorale »). Ad lat. « pectorale » respondet vetus forma « poitral, poitriaus (2) ; » sic quoque *portail* (= « portaculum ») olim, vel in XVI^a^ ætate, « portal » (=portale); exoletum fit *ventrail* (= ventraculum) : « Car le ventrail aveit e le cors forment freit » (3).

---

(1) In qua A longum est et tono sonat.

(2) Cf. Ismar Rothenberg : De suffixarum mutatione in lingua francogallica, Berolini, Haber, 1880, p. 8.

(3) Thomas le Martir, ab. C. Hippeau, apud A. Aubry, Lutetiæ, 1859, editum, V. 3832.

Viget adhuc apud incolas Campaniæ provinciæ olim usitatum *cramaille, cramail* (= « cramaculus, » cf. græcum κρεμάννυμι), nostrum hodiernum « cremaillère. »

Præter illa vocabula sunt alia non quidem ab latina suff. « aculus » orta, sed potius ad priorum, ut sæpissime fit, similitudinem informata; primigenia plerumque sunt verba; tum vero non tantum collectiva sunt declinata ea nomina, sed etiam in pejus interdum vertitur significatio : *attirail* (attirer) ; *épouvantail* (épouvanter) ; *éventail* (éventer); *fermail* (fermer). Nonne existimandum est mutatas et quasi commixtas inter se fuisse suffixas « alia » et « acu- « lus » in vocabulo *bercail,* quod semper masculinum « fuit ? » Legere est bergeail in XVI^a^ ætate (1) ; prius usurpatum erat « berzil » (= vervecile).

Bétail (plur. « bestiaux ») collectivum est et cum suffixa « alis, alia » in ea re congruit. In veteri sermone simul ex usu erant « bestaille (= bestialia) » et « bestail (= bestiale) ».

Nulla est superiorum vocabulorum conjunctio cum *bail, détail,* etc., quæ tantum verbalia sunt nomina ab verbis « bailler, détailler », etc. orta. *Mail* est lat. « malleus, mallius », neque unquam deminutivæ cujusquam significationis particeps fuit; *camail* (cap + mail) cum « maille » nostro convenit ; *émail* fuit olim recte « esmal » (= lat. « smaltum », ex germano vocab « smaltjan », hodie « schmelzen »). Fieri potuit ut « esmal », adjuvante suffixæ « ail » memoria, in « esmail, émail » mutaretur. *Corail* quoque omnino abest ab suffixa lat. « aculus » : ex « coralium » (græc. κοράλλιον) profectum est. *Sérail* ex fonte italico (sarraglio) exiit ; sic *tramail, trémail* (= « tramaglio » ex lat. « tramaculum »).

2° ACULA, forma feminina superioris, in nostro sermone

(1) Cf. Littré apud Glossarium.

« aille » facta est; sed perpauca edidit nomina, apud quæ ne permansit quidem deminutiva significatio ; nempe hæc tantum proferre possumus : *graille* (= « gracula », feminina forma latini « graculus ») ; *tenaille* (= « tenacula », feminina forma recti nominis « tenaculum »).

3° Alia. — Inter nostra in « aille » desinentia nomina, pleraque, ne dicam omnia, cum suffixa « alia » congruunt : digna quidem ea cui paulisper animum intendamus (1).

Tanta fuit post eversam populi imperiique romani magnitudinem latini sermonis perturbatio, ut vocabulorum generis notio sæpissime in oblivionem veniret. Ut pauca tantum exempla afferamus, constat plurale neutrum apud quædam nomina pro singulari femininaque forma fuisse habitum, et « folia, fulgura, organa, poma », etc. ita ab antiquo statu deflexisse ut quasi ad primam latinæ linguæ declinationem pertinentia adhiberentur : « foliæ » (ex « folia »), « fulguræ » (ex « fulgura »), etc. Idem vero de nominibus in « lis » desinentibus factum est : quum neutrum sing. « le » et plurale « lia » esset, formis « alia-» aliæ, ilia-iliæ » pro « alis-alis, ilis-ilis » usi sunt Francogalli.

« Alia » autem rectissime, quum *i* post sonantem vocalem positum in antecedentem sonantemque syllabam transisset, edidit « aille », ut jam « acula », neque inter se dissimilia sunt declinata nomina ab utraque suffixa orta, nisi quod « alia », quum prius pluralis forma esset, collectivam vim inde servavit.

Pauca ex nostris nominibus in « aille » desinentibus cum latinis nominibus congruunt : *bataille* (batualia, batalia); *épousailles* (sponsalia) olim « espousailles »; *funérailles* (funeralia); *semailles* (seminalia).

---

(1) Hand quidem recto suo loco suffixa hæc *aille* (= alia) inscribi videtur; sed ita inter se coherent suffixæ nostræ « aille = acula » atque « aille = alia » ut sejungendas eas non existimaverim.

Sed multo numerosiora ea sunt in quibus ad frgall. quoddam vocabulum, seu substantivum, seu verbum, accessit suffixa « aille. » Collectiva non modo sunt, sed et plerumque in malam partem abeunt : *accordailles* (accorder); *brocaille* (ex frgall. « broque, broche); *broussailles* nuper quoque *brossailles* (brosse); *brumaille* (brume); *cléricaille* (clerc, clérical) ; *crapaudaille* (crapaud); *crépodaille* rectiusque *créponaille* (frgall. crépon, crêpe); *crevaille* (crever); *ferraille* (fer); *fiançailles* (fiancer); *futaille* (fût); *gairçaille* (garce); *grenaille* (grain); *grisaille* (gris); *gueusaille* (gueux); *limaille* (limer); *mangeaille* (manger); *mitraille* pro *mitaille* (mite); *marmaille* (ex primigenio quodam « marm » quod in aliis nominibus « marmot, marmotte » reperias; cf. ital. « marmaglia »); *menuaille* (menu); *moinaille* (moine); *moutonnaille* (mouton); *muraille* (mur); *pierraille* (pierre); olim exstitit *perrail* (= petraculum); *piétaille* (pied, piéter); *poissonnaille* (poisson); *prêtraille* (prêtre); *quincaille*, quo rectius sit *clinquaille* (germ. « klinken »); *racaille* (ex primig. quodam germ. « rac »; cf. « anglic. rackcains); *rocaille* (roc); *radicaille* (radical); *relevailles* (relever); *ribaudaille* (ribaud); *ripaille* (?); *sonnaille* (sonner); *tripaille* (tripe); *trouvaille* (trouver); *truandaille* (truand); *valetaille* (valet).

Canaille ex ital. « canaglia » assumptum est; utebantur olim Francogalli vocabulo « chiennaille » (chien). Sic « *antiquaille* » (= ital. « anticaglia »).

Ad suffixam « alia » non pertinent sequentia hæc nomina : *écaille* olim « escale » (germ. « scalja »); *entrailles* est lat. « intranea, intrania » pro « interanea ». In locum liquidæ consonantis *n* successit liquida *l* : neminem enim fugit, ut in latino sæpius, sic in nostro sermone creberrime inter se liquidas consonantes litteras mutari; suspicor tamen propter memoriam suffixæ « aille (= alia) » effectum fuisse ut « intralia » pro « intrania »

fieret. Nam olim ex « intranea » recte exierat « entreigne, entraigne » (1) ; atque Diez (2) animadvertit « intranea » apud ceteras romanicas linguas communem esse vocem, sed « intralia » nusquam nisi apud Gallos fuisse repertum.

Rétaille ad verbum nostrum « retailler » accedit, neque ullo modo nostræ suffixæ « aille » particeps est.

Volaille dignum est quod intento animo inspiciamus : nam cum latino « volatilia » congruit « voleïlle, volille », non « volaille » ; quare omnino dissentimus ab Brachet (3) qui existimat ex « volatilia » (4) vocab. hoc evenisse : « vola t (i) lia, volat'lia, volallia, volaille ». Rarius in aliam syllabam succedit vocabulorum tonus, quam ut seriem hanc comprobemus, siquidem, t consonante media rectissime cadente, rectissime quoque « volatilia » vertitur in voleïlle, volille ». Quid plura ? Apud veteres scriptores invenimus « voleïlle, volille » (5). « Si vint la voleïlle menue » Barb et M. IV, 87, 225 ; « volille : fille », ibid, IV, 370, 161 : 162 ; « Et volilles et venison » Fl. et Bl., 1678 ; « Je connui toutes les voleïlles du ciel », Psautier, f° 61. Vocalem ĭ servavit l sequens ac præsertim i suppositum, per quod l madidum evasit. Verisimile igitur est nostrum « volaille » non esse latinum « volatilia », sed verius, facta suffixarum mutatione, « vol + aille ».

In nomine *ouaille* pro « eille » repositum est quoque « aille ». Nam ex latino « ovicula » recte factum est « oeille », quod optime congruit cum provinc. « ovelha, » oveilla, oelha », cum hispan. « oveja », cum portug. « ovelha ». Exempla non desunt : « Deus vus ad comandé » sun berzil à guarder — E s'il est vostre *oeille*, vus le de-

(1) Vide exempla apud J. Rothenberg, p. 10.
(2) In suo libro Altroman. Gloss., p. 24.
(3) *Dictionnaire étymologique de la Langue française*, Paris, Hachette et C^{ie}.
(4) In quo tonus ex i littera in a transiit.
(5) Cf. Littré, apud Glossarium, et J. Rothenberg, p. 10.

» vez mener. — Le pastre deit tuz dis le forain returner. —
» E l'*oeille* malede sur l'espaule porter. » (1).

Sed jam in XIV[a] ætate pro « oeille » legimus « ouaille (= o, ou + aille) ».

4° ICULUS. — Ab latina suffixa « iculus », quæ ad informanda deminutiva nomina apud Galloromanos adeo frequentata erat, orta sunt vocabula in « eil, ieu, il » desinentia ; sed iis semper in francogallico sermone deminutiva significatio defuit. Neque tamen omnino omittenda videtur suffixa « iculus », quoniam feminina ejusdem forma « icula » nomina vere deminutiva edidit. Sed paucis eam tractare licebit. Ab « īculus » dijudicanda est « ĭculus. »

α). LAT. ĭCULUS (« frgall. *eil*, interdum *ieu*). Apud » ĭc « (u) lum, ĭclum, » *i* breve, ut in sermone nostro fieri solet, edidit « ei ; » sed alterum *i* consonantis *c* vi genitum præstitit ut *l* maderet : *appareil* : olim, nom. sg. « apareils, apareux, aparaux ; » accusat. sg. « apareil ; » nonimat. plur. « apareil ; » accusat, plur. « aparaux ; » *orteil* (= articulus), olim rectius « arteil ; » *soleil, sommeil, vermeil* (adj. nom) (2).

Apud pauca vocabula consonans *l* in vocalem litteram mutata est : sic *essieu* (= axĭculus, assiculus, essieil, essiel, essieu) ; *épieu* (= spiculum).

β). LAT. īCULUS (francogall. *il*). « Il » cujus *l* littera madida est, ab latina suff. « īculus » aut etiam ab « eculus » ortum est, non ab « ĭculus, » quæ jam « eil » dederat. Longum vero ī, si tonus adest, perstare solet; atque, ut apud suffixam ĭculum, littera *l* per *i* ex *c* profectum madida facta est. Ex : *fournil* (ex lat. « furnīculus » nisi ex nostro four) ; *goupil* (= vulpēculus, vulpēclus) : nam *é*, sequente *c* aut *g* aut *i* cui tonus deest, recte factum

---

(1) Thomas le Martir, v. 1191-1194. — Cf. alia exempla apud Littré et Rothenberg, p. 8.

(2) Cf. supra, p. 10-11.

est *i*, ut apud vocabula « fit (= fecit), pis (= pectus), » etc.; olim quoque fuit « gorpil » pro « golpil » quod tandem recte « goupil » factum est; *penil* (ex primigenio quodam ignoto + suff. « il = īculus); *péril* (= perīculum); *dousil* (= dulcīculus) »; *grésil* (ex nostro « grès, » lat. » gresīcu- « lus » ex antiquo germ. « gries »); *nombril* (= « umbilī- » culus, » ex « umbilīcus, » cum *n* consonante præposita littera). *Conil* (= cunīculus) exoletum est.

Apud *persil* (= petroselinum), olim « persin, pierresil, » pierresill » madidum fit *l* quasi primigenium in « uculus » desinat; sed omnino ab suffixa nostra « persil » abest, ut sequentia hæc nomina : « *babil* » (verbale substantivum ex nostro « babiller »); *chenil* (= lat. « canile »); *baril* (ex vocab quodam celtico parum noto); *fusil* (= lat. « focīle »); *outil* olim « ustil » (ex latino quodam « usitilium, usitilia » ad lat. « usitare » pertinente); *sourcil* (= lat. « superci- » lium »).

5° ICULA, ILIA (frgall. « eille, ille »). Ad latinas « icula, » ilia » respondent nostræ suffixæ « eille, ille, » quasi formæ sint priorum « eil, il. » Quod si tamen quæris cur ex « icula » aut « ilia » mox « eille, » mox « ille » ortum sit, originem suffixarum « eil » aut « il » respicias necesse est : inde compertum habebis « eille » esse latinam « ĭcula » aut « ĭlia », sed « ille » cum latina « īcula, » īlia » congruere.

Ex « ĭcula » igitur orta sunt : *abeille* (ex lat, « apĭcula » per provinc. vocab.); *bouteille* (= « buttĭcula » pro « butĭ- » cula »); *corbeille* (= corbĭcula); *corneille* (= « cor- « nĭcula » pro « cornīcula »); *oreille* (= aurĭcula).

Ex « ĭlia » : *merveille* (= mirabĭlia). *Oseille* respondet ad lat. « oxalia », in quo primum « ā » recte in « e » conversum est. *Groseille* cum germ. « Kreusel » congruit, neque ad suffixam nostram « eille » pertinet.

Cum « ĭcula » congruunt et feminina adjectiva nomina *pareille, vermeille.*

Præterquam quod omnibus nominibus in « eille » desinentibus deest deminutiva significatio, facile menti succur rit, quum de prosodia in tantum dubium posteriores Romani ac præsertim Galloromani et Francogalli VIae aut VIIae ætatis post Christum natum venissent, sæpius perturbationem in quædam nomina haud multum inter se dissimilia fuisse inductam. Quare tantum abfuit ut omnino inter se distarent suffixæ « ĭcula » et « īcula », « ĭlia » et « īlia », ut contra nonnunquam una in alterius locum succederet : Unde pro « eille » interdum « ille » videre est. Nihil igitur mirandum erit si, præter quæ nomina supra enumeravimus « abeille, corbeille, corneille, oreille » exstiterunt et olim *aville :* « Une multitude d'avilles, ce sont mou- » ches qui font la cire et le miel », du Cange, apud Littré; *corbille :* « une corbille (il) trova merveilles grant », Bat. d'Aleschans, apud Littré; *cornille :* « sur un fust (il) vit » une cornille », Renart, 7,674, apud Littré; reperias etiam *cornaille,* quasi de suffixa « acula » agatur : « Lieve sa » teste et venir voit. — Une cornaille à la volée », Renart, 22,841, apud Littre; *orille :* « tut les orilles lur en corne- » runt », Rois, p. 420, apud Littré; cf. « orillier » pro « oreiller » etiamque « orillon » hodie usitatum neque idem significans atque nostrum « oreillon ».

« īcula, īlia » suffixæ suffixis « ĭcula, ĭlia » numero præstitisse videntur : atenim adeo ferax fit declinatorum francogallica suffixa « ille », ut merito existimes prope evanuisse suffixas « ĭcula, ĭlia », postquam illa nomina edidissent, quæ specie tantum deminutiva permanerent ; » īcula » vero atque « īlia » vim novam accepisse, ut quæ numero magis in dies crescerent ac vere denimutivum sensum servarent. Quæ tamen cum « īcula » congruunt, eadem illa quotidie aliquid ex priore denimutivaque significatione amittunt : *chenille* (= canīcula); *cheville* (= « ca- » pītula » pro « capĭtula »); *lentille* (= lentīcula); *grille* (= cratīcula), pro « graïlle, greïlle » quod apud XIIIae

ætatis scriptores invenitur; *vrille* (« vitĭcula » pro « vitĭ- » cula »); paulatim vero « viticula » factum est « vedille, » veïlle, ve (r) ille, v (e) rille, vrille. » Nonnihil quidem ex deminutiva significatione, quanquam omnino evanuere primigenia, servarunt illa nomina.

Ad suffixam « īlia » respondent ac plus nimusve recte cum latinis aut francogallicis vocabulis congruunt : *beatilles* (« beatilia, beatus », nisi mavis ad italicam originem nomen hoc referre); *broutilles* (ex vocabulo olim apud nos usitato « brout »); *fondrilles* (« fond » ac forsan « fondre ? »).

Volatille (= « volatilia » doctorum opera informatum esse videtur atque parum distat ab *volatile* (= volatile); cujus loco olim uti solebant « voletille ».

Jam supra diximus ob id unum inter se abesse suffixas « ille » (= icula) et « ille » (= ilia), quod nominibus ex « ilia » ortis aliquid collectivi inest. Sed sæpe arduum fit opus utrumque fontem discernere ; ad hæc, plurima nomina ab nostris hominibus informata sunt, quæ ad neutram originem referuntur et in nostrum sermonem, seu cetera imitando, seu ab Italis Hispanisve vocabula assumendo, inducta sunt.

Vere francogallica ac sensu deminutiva, quasi ad suffixam « icula » respondeant : *barbille* (« barbe », velut ex « barbicula » pro « barbacula ») ; *bastille* (bastir, bâtir); *béquille* (bec) ; *brindille* (« brin », per similitudinem veteris « brondille » ab veteri nostro « bronde », id est « branchage », orti) ; *cantatille* (cantate) ; *cordille* (corde) ; *coronille* (recens doctumque nomen ad latinum « corona » recte respondens) ; *croustille* (crouste, croûte) ; *écoutille* (écoute) deminutivam signif. partim amisit ; *estampille* (« estampe », quod cum italico « stampa » congruit, ut vere dicas ab italica lingua originem ducere nostrum « estampille ») ; *flottille* (flotte) ; *grenadille* (grenade); *guenille* (vetus frgall. « gone » : « guenille « pro » gonille ? »);

jantille (jante) ; *larmille* (larme) ; *létrille* aut *lettrille* (lettre) ; *mandille* (altera forma nostri « mantille? »); *mantille* (mante) ; *morille* (more) ; *pacotille* deminutivum est atque in malam partem abit ; ad idem primigenium attinet ac nostro « paquet » ; est igitur « pacotille » pro « paquetille », *ramilles* (« rame », lat. « ramus »); *résille* ab eodem primigenio ortum est ac « réseau » (= reticellum) ; résille est « res + ille » ; *roquille* (?) ; *soudrille*, cujus primigenium apud nostrum « soudard » (= sold, soud + ard) invenias ; nisi mavis « sous + drille? » ; *souquenille* (vet. frgall. « soucanie + ille ») ; nihil servavit ex deminutivo sensu, magisque in malam partem abit.

Collectiva sunt et ad suffixam « ilia » referri possunt : *charmille* (charme) ; *courtille* (ex « courtil » = lat. « curtile »).

Ad italicum hispanicumve fontem accedunt : *bisbille* (ital. « bisbiglio ») vere popularis vox ; *camomille* (ital. « camomilla ») ; *cannetille* (ital. « canatiglia ») deminutivum est ; sic *castille* (in nostro sermone : « petite querelle », ex (hispan. « castillo ») ; sic et « *cédille* » (hispan. « cedilla ») ; sed non *cochenille* (hispan « cochinilla »), ac *jonquille* (hispan. « junquillo ») ; deminutiva quoque *peccadille* (ital. « peccadiglio ») et *pointille* (ital. « puntiglio », lat. « punctus »), quod sæpius in malam partem abit ; minime vero deminutiva vocabula *quadrille* (ital. « quadriglio »), *torpille* (ital. « torpiglia »), atque *vanille* (hispan. « vainilla ») ; deminutivum est simulque in malam partem abit *vétille* (hispan. « vetilla », ex lat. « veta »).

Non accedunt ad suffixam « ille » : *anguille* (lat. « anguilla ») ; *apostille* (lat. « ad post illa»); *coquille* (lat. « conchylia », nisi anteponis fontem « coque + ille ») ; *drille*, id est « fantassin, soldat à pied », ex germ. « drigil » ; *esquille* (lat. « schidulæ », quod ipsum vocabuli « schidiæ » deminutivum est ; *étrille* (lat. « strigilis »); *faucille* (lat. « falcilla » pro « falcula ») vere deminutivum est ; *papille*

(lat. « papilla) ; *pastille* (lat. « pastilla » pro « pastillus ») ; *pupille* (lat. « pupillus ») ; *pupille* (lat. « pupilla ») ; *quille* pro « quil » (= germ. « kegil »).

6° Lat. *uculum* (frgall. « ouil, ou »). Suffixa nostra « ouil, ou » (= lat. « uculum » pro « iculum » (1) deminutivam significationem (2) amisit. Non est igitur quod in suffixa illa explicanda diu consistamus; itaque paucis requiremus quæ forma prius ab « uculum » orta sit. Recte autem « uculum » brevi factum « uc'lum », propterque « i » ex « c » consonanti genitum, edidit « oil, ouil, » unde postea « ou ». *Fenouil* quidem, prius « fenoil (= lat. » fœnuculum ») secundam formam servavit ; sed legimus *genou* (= genuculum »), olim « genoil, genouil » ; *pou* (= « peduculum ») pro « peoil, peou » ; *verrou* (= veruculum), « olim verroil, verrouil », cf. nostrum « verrouiller » olim « veroillier ».

Quanquam doctissimi de origine vocabulorum « bijou, » caillou, joujou » dubii sunt, eadem hæc ab suffixa nostra « ou » (= ouil) haud multum distare credo : *bijou* (= bis + joculus) ; *caillou* (= cail + ou) ; « cail » autem est lat. « calculus » ; *joujou* (= joculus + joculus).

7° Lat. « Ucula » (frgall. « ouille »). Feminina forma nostra » ouille (= lat. « ucula ») recte ad masculinam « ouil » (= uculum) respondet. « L » consonans madida est, ut olim apud « ouil » : *grenouille* (= lat. « ranuncula, ranucula » cui « g » littera præposita est) nihil deminutivi servavit ; recta et prior forma « renoille » haud semel reperitur ; *cornouille* (= « cornucula » pro « cornicula ») olim « cornoille » abest quoque ab priore sensu ; *gargouille* cum nulla latina forma congruit, sed ad ceterorum exemplum per suffixam « ouille » informatum est ex primigenio quo-

(1) Cf. p. 4.

(2) Vide, p. 10-11.

dam « garg » apud omnes romanicas gentes usitato, sed cujus origo obscura est; *quenouille* (= « conucula » « colucula », ex « colus »), olim « conoille », ut apud Renart, 21830; *citrouille* deminutiva erat forma nostri veteris « citre » (= lat. « citrum »).

Aiguille non ex « acŭcula » pro « acicnla », sed ex « acūcula » profectum est in quo « ū » recte permansit; existebat olim et rectius « aguille » (vide Littré); picardica forma « agouille » apud quosdam superfuisse « acŭculum » testatur.

Contrahenti quæ de suffixis « ouil, ou, ouille » dicta sunt manifestum fit ferme nulli in « ouil, ou » desinenti vocabulo servatam fuisse deminutivam significationem, ac præsertim plane steriles evasisse suffixas « ou, ouille », nedum, ut « aille, ille », magis in dies crescerent et nova promerent nomina.

Sunt enim alia in « ouille » exeuntia vocabula: « an- » douille, brouille, bredouille, fouille, gribouille, dépouille, » patrouille »; sed nulla est eorum conjunctio cum latina suffixa « ucula »: *andouille* est lat. « inductilis, induct'lis », olim « andoille »; *brouille, bredouille, fouille, gribouille, patrouille* verbalia sunt nomina; *dépouille* cum lat. « spo- » lia » ex « spolio » per declinatum quoddam congruit; *souille* tandem nihil aliud est quam lat. « suillus. »

4). LAT. ANEA (frgall. AGNE). — Non intentiva sed collectiva est suffixa nostra « agne » = (lat. « anea, ania »): *montagne, campagne* (vel *Champagne*) nihil aliud quam « montium, camporum seriem continuatam » declarant. Paucissima ceterum per « agne » informata sunt declinata nomina. Collectiva quoque si qua nuncupandæ regionis sunt: *Allemagne, Bretagne, Cerdagne, Espagne*, etc., id est, si proprie dixerim, « quam regionem tenent Alemani, » Britanni », etc. Collectiva non sunt *châtaigne* (= castanea), *compagne*, femina forma masculini *compain*, olim « compaign, compaing », recte ab nominativo latino

« companio » orti. « A » enim vocalis, cui tonus adest, quotiescumque ante *n* positum est, « ai » edidit; præstitit que *i* sequens ut is sonus fieret quem in nostro sermone vocamus « n mouillée », per « gn » ac postea per « ng » inscriptum. Feminina igitur forma nostri « compaign » est compaigne », unde hodiernum « compagne. » Sic paulatim mutata sunt « montanea, campanea » in « montania, campania », deinde in « montaigne, campaigne, champaigne », ac tandem facta sunt « montagne, campagne, champagne. » Nihil aliud « campagne » quam picardica forma vere francogallici « champagne. »

Cocagne jam in XII^a^ ætate « coquaigne » a primigenio quodam ortum est quod apud verbum latinum « coquere » reperire est : dico « coquanea, coquania »; adeoque congruit sensus ut minime dubiam esse hanc originem existimem. Alterum quoque « cocaigne » olim existebat, ab « coccus » per declinatum « coccanea » profectum, cuique sensus erat « habita inter duos gallos pugna. » *Bagne* per ital. « bagno » aut hispan. « bano » nobis illatum est; verisimile est verbum hoc ab latino « balneus » haud multum distare.

Feracior olim fuit suffixa « agne » quam hodie; nonnulla ex veteribus nominibus exoleta sunt : *malaigne; ovraigne* (= operanea), in cujus locum successit recentius « ouvrage » (= operaticum); haud multo ante XV^am^ ætatem « ouvrage » apparuit ; *iraigne* interdum « iraignie » scriptum, sed tum etiam « iraigne » dictum (= lat. « arānea »); nunc utimur vocabulo « araignée » (= araneata). Rustici homines, in ea Galliæ parte quæ ad Orientem spectat, quibusdam et vocabulis utuntur, quæ communis sermonis non sunt : *cagne, charpagne*. Prius ab lat. « cānea, cānia (canis) sine dubio ortum est et in pessimam abit significa-

---

(1) Cf. Littré, apud vocab. cocagne.

tionem; nuper in XVII[a] ætate significabat adhuc « canem feminam » et « meretricem. » Alterum est « lata quædam « et leviter profunda sporta quæ ad olera colligenda adhi- » betur » ; sensu longe distat ab nostro « corbeille » aut « panier »; desiderandum igitur videtur apud nos « charpagne » evanuisse. Cum eodem sensu viget in Campania provincia « hertine », cujus originem parum comperio. « Charpagne » vero accedit ad lat. quoddam « carpanea » quod a verbo lat. « carpere » non abest.

5) LAT. ELLUS, ELLA, ILLUS, ILLA (frgall. EAU, ELLE). — Ab suffixis lat. « ellus, ella, ellum-illus, illa, illum » orta est suffixa nostra « eau », cujus feminina forma « elle » est.

Quum ex « i » aut « e » lat. ante duas consonantes posito exiisset nostrum « è ouvert », in unum convenerunt ambæ illæ suffixæ, edideruntque mascul. « el », femin. « elle » : hac enim figura in XI[a] ætate etiamque sub fine XII[ae] inscribi solent vocabula ad « ellus, illus » pertinentia: *veel* (= vitellus) ; *tumbel* (= tumbellus) ; *batel* (= batellus) ; *chevrel* (= caprillus); *agnel* (= agnellus). Feminina forma fuit « ele », recte in « l » contractis « ll »: *purnele, ruele;* recentior lingua restituit « ll » : prunelle, ruelle. »

Ante XII[am] ætatem omnino igitur recta fuit ac simplex mutatio suffixæ latinæ « ellus, illus »; deinde, nescio qua de causa, « el » in diphthongum, ut sæpe fit in nostro sermone, conversum est, ut inde « eal » evaderet. Primum quidem tonus in « e » incidebat, et vocalis « a » prope « muta » erat : « éal ». Sed ea est litteræ « a » conditio, ut difficile tono careat : quare paulatim « éal » in « eál » mutatum est, « e » levius in dies resonante. Postquam vero sic conversa suffixa « el » est, « l » consonans rursus in vocalem « u » transmutata est, ut jam succederet diphthongus « eau », apud quam tonus in « a » incideret. Nec tamen plane muta fuit « e » vocalis : argumento est quod « eau » diphthongus in quibusdam vocabulis syllaba

duplex habetur : sic in sequenti hoc versu poetæ nostri « Villon. »

« La belle qui fut Heaumiere » (octo syllabis constat).

In dialecticis orientalis Galliæ littera « l » haud transmutata in vocalem evanuit, et in Burgundorum provincia, exempli gratia, nunc etiam dicere solent « veá » (veau), « morseá » (morceau), « bandeá » (bandeau). In veteri Francogallorum sermone sono congruit ea apud « beau » cum nostro a (2).

In aliis contra dialecticis, in Campania scilicet et in Lotharingia, non « a » sed « e » sonat : « l » quoque cecidit : « bé » (beau) , « chapé » (chapeau), « cauté » (couteau), « vé » (veau).

Omissis igitur formis quæ quarumdam sunt dialectorum, suffixa « ellus, illus » in francogallico sermone vicissim ac paulatim facta est « el, éal, eál » usque ad finem XII[ae] ætatis; tunc in « u » mutata « l » littera, orta est « eau » diphthongus, apud quam tonus in « a » cecidit. Non igitur, vel Ramus nostri tempore, cum « o » congruebat « eau » : nam ille, in eo libro qui ad orthographiæ mutationem pertinet, notat « au » per litteram « a ».

Ceterum « e » apud « eau » postea evanuit in pronuntiando ; jam in XVI[a] ætate factum erat illud, si Gallorum dicendi ratione uti licebit, « semi-muet », id est, sonabat ut hodie apud nos « e « in vocabulis » le, me, de, se, que, « te », etc.

Non sic tamen acquievit « au » suffixa, ut quæ jam in sonum « o » efferretur : unde diphthongus « eau » in « eo » versa est. « Auditur e clausum », inquit Bèze, » cum « diphthongo au, quasi scribas eo ».

---

(1) Ballade de la *Belle-Heaumière*.

(2) Diez, *Gramm. des lang. romanes*, trad. française, I, p. 406 (libr. Wieweg).

Quæ quum ita essent, ad novas etiam formas jam accessuræ erant suffixæ latinæ « ellus, illus ». Neminem enim fugit pro « eo » in nostro sermone solitum fuisse « io » : qua in forma constitit picardica dialectus; sed enim ibi etiam nunc exstat « biau, chapiau, batiau, coutiau), etc.; sermo contra vere francogallicus in pronuntianda diphthongo litteram « e semimutam » « movit : » beaü, chapeau, « bateau », velut « bô, chapô, batô ».

Quod si diversas lat. suffix. « ellus, illus » mutationes contrahere licet, jam exsequetur series hæc quam ab « Arsène Darmesteter » accepimus.

Exempli causa usi sumus vocabulo latino cappitellum (= francogall. chapeau).

Chapèl (è apertum ante X^{am} ætatem).

Chapeal (in XI^{a} œtate).

Chapea (in Pictonum regione.
Chapé (in Compania et Lotharingia).
} Chapeal (in frgall sermone XII^{æ} ætatis)

Chapeau (in XIII^{a} ætate — Chapea (in Burgundia)

Chapèau (ab XIV^{a} usque ad XV^{am} ætatem)

Chapiau (in Picardia regione — Chapeô (in frgall sermone XVI^{æ} ætatis)

Chapiô Ibid. — Chapô (ab XVII^{a} ætate usque ad XIX^{am})

Cur eodem modo non mutata fuerit suffixa feminina « ella, illa », facile intelligis : etenim « e » duabus consonantibus præpositum jam a principio edidit « e » apertum : unde, quum « a » sonanti syllabæ postpositum in « e » mutum converti soleret, « ella » suffixa rectissime

(1) Diez, *Gramm. des lang. romanes*, I, p. 406.

facta est « ele », recentiusque « elle ». Feminina igitur forma per se ipsa obstitit ne in diphthongum mutaretur « e » : non effici poterat ut, ante « mutum e », pro « l » evaderet vocalis « u » littera.

Restat ut de serie « iel, ial, iau », disputemus, quam Diez (1) protulit, varias suffixarum latinarum « ellus, il- « lus » mutationes explanaturus. Illam autem minime comprobandam existimamus. Non quidem ignoramus propriam hanc esse picardicæ dialectici facultatem ut « e » littera, duabus consonantibus supposita, sæpe in diphthongum vertatur : « bielle, foriest, tieste », etc. (2); sed diphthongus ea per totam « picardicam » regionem adeo non manavit, ut contra in sola parte quæ ad orientem spectat omnino inclusa esse videatur; neque verisimile est unquam illius formæ vim usque ad fines francogallico sermone loquentium fuisse perlatam : hic enim in locum formæ « el » successit « eal », quin interpositi quidquam percipi possit; « iel, ial » ad quamdam picardicæ regionis partem tantum pertinet.

Inter quæ in « eau, elle » suffixam exeunt vocabula, permultis quidem inest deminutiva significatio.

Quædam et numerosa seu teneræ ætatis homines, seu catulos animalium, seu tandem novellas herbas aut arbores significant : *baleineau* (baleine) ; *bécasseau* (bécasse); *chêneau* (chêne) ; *cigogneau* (cigogne) ; *canardeau* (canard); *carpeau* (carpe) ; quidam et *carpot* dicere solent, quasi nomen hoc ad suffixam « ot » pertineat. Haud sane infitiandum est sæpius inter se commixtas fuisse suffixas « eau, ot » : rectius tamen « carpeau ; » *chevreau* (chèvre); *colombeau* (colombe) ; *colombelle* (colombe) ; *dindonneau* (dindon) ; *friponneau* (fripon) deminut. significationem

(1) Diez, *Gramm. des lang. romanes,* trad. fse, I, p. 406.

(2) Cf. Fritz Neumann : Zur Laut und Fiexionslehre des altfranzösischen, hauptsächtlich aus pikardischen Urkunden von Vermandois, p. 62.

accipit, sed simul, ut primigenium « fripon, » in malam partem abit ; nihili igitur est adolescens qui fraudi indulgere cœpit : *faisandeau* congruit cum nostro « faisan » (= lat. « phasianus »), quasi, per imitationem nostri « faisant » ex verbo « faire (= facere), » inscriptum esset « faisant, faisand ; » argumento est quod nonnulli « fesan » pro « faisan » parum recte pronuntiant ; *fauconneau* (faucon) ; *gentilhommeau* (gentilhomme) in malam quoque partem abit, ut nostrum *hommeau* (homme), pæne jam exoletum ; *merleau* (merle) ; *ormeau* (orme) ; *ourseau* (ours), quod idem significat atque nomen sæpius usitatum « ourson ; » *outardeau* (outarde) ; *paonneau* (paon) ; *pastoureau, pastourelle* (pastorellus, pastorella) ; *puceau* (pullicellus), proterva vox ; *pigeonneau* (pigeon) ; *rameau* « ramellus, » deminutivum latini « ramus ; rameau, » minime congruit cum nostro « rame, » quod recentius ab « ramus » informatum esse videtur ; nam olim pro « rame » exstitit rectius « raim, raime » (= lat. « ramus ») ; *renardeau* (renard) ; *ribaudeau* (ribaud) ; *rousseau* (roux) ; etiamque, commixtis suffixis « eau, aud, » nomen « roussaud, » femin. « roussaude, » quod in pessimam partem abit ; *saumonneau* (saumon) ; *serpenteau* (serpent) ; *soliveau* (solive) prius nihil aliud significans quam « tigillum ; » sed jampridem in hominem aut in regem male incidit qui lenius ignaviusve provinciam suam suscipit ; *tourtereau* notabile est, quod deminutivum habetur deminutivi » tour- « terelle (= turturella). »

Godelureau (vaudelu, godelu?) in malam partem incidit.

Ex tot exemplis facile apparet declinatorum feracissimam esse suffixam « eau, elle ; » nova nomina non tantum ex deminutivis latinis, ut « pastoureau, puceau, rameau, » tourterelle » orta sunt, sed et præcipue multa informata sunt ac quotidie informantur ex francogallicis nominibus,

quibus, per similitudinem ceterorum, accedit suffixa nostra « eau, elle. »

Alia nomina ad res mutas pertinent non minus deminutiva : *banneau* (banne) ; *bardeau* (barde) ; *barreau* (barre) ; *bigorneau* (bigorne) ; *carpelle* (ex græco καρπός) ; *caravelle* (hispan. « carabela, » ital. « caravella, » ex lat. « caraba ») deminutivam signif. amisit potiusque intentivum habetur ; *cartelle* (carte) magis intentiva quam deminutiva est ; *caveau* (cave) ; *chaîneau* (chaîne) minus frequentatum quam « chaînon » ; *cordeau, cordelle* (corde) ; *coteau* (côte) ; *douvelle* (douve) ; *écriteau* (écrit) ; *écuelle* (lat. « scu- » tella » ex « scuta ») ; jam vero evanescit deminutiva significatio, utpote nullo ex lat. « scuta » nomine orto ; *gentianelle* (gentiane) ; *gravelle* (grave, grève) ; *hameau* (picard. « ham, » anglo-german. « ham = demeure ») : quanquam omnino exoletum primigenium est, servavit tamen « hameau » deminutivam signif. ; *houseau* (« house » ex germ. « hosa ») ; *jambonneau* (jambon) ; *labelle* mascul. (lat. « labellum ») a doctis viris informatum est ; non item *lamelle* (lame) ; *lanterneau* (lanterne) ; *pruneau* (prune) plurimum ab deminut. signific. discessit, atque ob id tantum ab nostro « prune » distat, quod siccatum prunum significat ; *prunelle* (prune), agreste quoddam pomum, deminutivum permansit ; *plumeau, plumasseau* (frgall. « plume, » lat. « plumacium ») non tam deminutivum quam collectivum est ; *péronnelle* (ab proprio nomine ortum) in malam partem abit ; *paumelle* (paume) ; *pommelle* (pomme) ; *poutrelle* (poutre) ; *rondelle* (rond) ; *ruelle* (rue) ; *sautereau* (sauter) ; *soutanelle* (soutane) ; *Tableau* (table) adeo non deminutivum, ut contra interdum prope intentivum habeatur ; accedit præterea magis ad sensum latini « tabula » quam ad nostri « table » significationem ; *tasseau* (olim « tassel, » ex nostro « tas, » lat. « taxillum ») ; *tigelle* (tige) ; *tonnelle* (tonne) ; *tourelle* (tour) ; *tuffeau* (tuf) forma tantum deminutivum ; sed pri-

migenio pejorem sensum addit; *venelle* (lat. « vena, » frgall. « veine ») ; *vaseau* (vase).

Notandum est in dies numero magis crescere nomina ea in mutas res incidentia, quorum significatio deminutiva paulatim evanescit. Sed eadem illa vim novam ex inserendis quibusdam suffixis « et, c » aut « ss, er » accipit. Eas ordine explanemus licebit.

Inserta « et » suffixa inter primigenium ac suffixam « eau », aperte deminutivum fit declinatum ; neque est quod existimes ad deminutivum in « et » desinens accedere suffixam « eau » : nam, ut exemplo utamur, minime sane *cailleteau* est « caillet + eau, » sed verius « caille + » et + eau » : nunquam apud nos « caillet » usu valuit ; sic *chêneteau* (ex « chêne + et ») ; *lèvreteau* (« lièvre + » et, » aut potius « leporem + et, » quanquam « levrette » in nostro sermone existit) ; *louveteau* (louve + et).

Sæpius inseritur « c, ss » per imitationem suffixarum latinarum « c-ellus, c-ella, c-ellum, c-illus, c-illa, c-illum », quibuscum arctissime cohærent nostræ « ceau, seau, « sseau, » fem. « celle, selle, sselle. » Supra jam dictum est (1), non sæpissime Latinos formis « cellus, cillus » usos fuisse, frequentiorem contra eamdem apud Romanicas gentes, quum pro « ulus, » cui tonus deesset, ex usu fieret sonans suffixa « ellus, » exstitisse.

Plane deminutivæ sunt suffixæ « ceau, celle, » etc., et cum substantivis nominibus conjungi solent : *arbrisseau* (« arbre, » quasi ex latino quodam « arboricellus ») ; in veteri lingua fit nom. sg. « arbrissaus ; » acc. sg. « arbris- » sel ; » nom. plur. « arbrissel ; » accus. plur. « arbris- » sels, arbrissaus ; » sic et declinari olim solebant quæcumque nomina in « eau, el » desinebant ; *arceau* (arc) ; *cerceau* (« circellus, » ex « circus ») ; *faisceau*, olim

---

(1) Cf., p. 4-5.

« faisseau » (lat. « fascellus »); *faisselle* pro « fesselle » (lat. « fiscella, » ex « fiscus ») ; ambo hæc nomina non jam deminutiva; *ficelle* (lat. « filicellum, » mutato genere). Haud recte quidam olim scripserunt « fiscelle », ut Montaigne (1); nam nulla cunjunctio nostri « ficelle » esse potest cum lat « fiscella; » *jouvenceau*, femin. *jouvencelle* (« juvenicellus, » deinde « juvencellus, » ex « juvenis »); *damoiseau*, femin. *damoiselle* (« dominicellus; » cf. nostrum « dame »); ex » damoisel, damoiseau » profectum est olim *donzel*, cujus feminina forma *donzelle* nondum omnino evanuit, sed apud plebem in malam partem abit; *lionceau* (« lion, » lat. « leonicellus, leoncellus »); *monceau* (monticellus); *morceau* (morsellus); non recte pro « morseau; » olim melius « morsel; » *nacelle* (navicella); *pinceau* (penicellum) deminutivam signific. amisit : deest enim simplex vocabulum quod ad latinum « penis » respondeat; item *oiseau* (avicellus, aucellus); *ponceau* (ponticellus); alterum existit *ponceau* (= lat. « punicellus ») quod hodie plerumque nomen adjectivum habetur deminutivoque sensu caret; caret quoque deminutiva significatione et in malam partem abit *pourceau* (porcellus); sic et *vaisseau* (vascellum), atque *vaisselle* (ex plur. neutro « vascella »), quod femininum nomen habetur collectivumque fit, ut nomina in « aille » desinentia; sed *souriceau* (souris) deminutivum est et in locum veteris « souricette » successit; deminut. quoque *vermisseau* (lat. vermicellus).

Diu quidem *Pucelle* (= lat. « pullicella ») pro nostro hodierno « jeune fille » viguit, nunc autem abiit deminutiva significatio; sunt etiam qui nomen illud male interpretentur; existit adhuc cum pessimo sensu *puceau* (lat. « pullicellus »).

Perdreau (lat. « perdicellus »), deminutivum nostri

---

(1) Essais, II, p. 389.

« perdrix », est pro « perdrisseau », ut ex veteribus exemplis videre est (1).

Réseau forma tantum deminutivum ad latinum « reticellum », non ad « retiolum » respondet. Olim existebant, « reseul, reseuil » (= lat. « retiolum ») et « roisel, roisiau » (= lat. « reticellum ») (2).

Ciseau, olim nom. sg. et acc. plur. « cisels, cisez, cisaus » ; acc. sg. et nom. plur. « cisel », cum latino quodam ficto « cisellus » congruit ; unde vero « cisellus » ortum sit ambigitur ; hoc equidem existimo non abhorrere ab latino verbo « cædere » ; cf. « concidere, concisum » ; jam enim in latino sermone exstitit « cisorium » pro « cæsorium », ex « cæsor », unde nomen nostrum « cisoir. » Facile effici potuit ut ex primigenio « cis » deminutivum « cisellus » evaderet (3).

Marceau minime deminut. nomen falso sic inscriptum est pro « marsault. » Nonne suffixam quoque suam mutavit exoletum *garceau*, pro « garçon ? » In quibusdam locis superest vocabulum « garceau » : « Rue des Garceaux » (Vitry-le-François).

Manceau ad populi cujusdam nomen pertinet deminutivamque signif. amisit. Sic *asseau* (ex lat « ascicellus » pro « asciculus, asciolus »).

Evanuerunt nonnulla nomina olim usitata : *faoncel* (faon) ; *raincel* (« rain », lat. « ramicellus ») ; *vaucel* (val, lat. vallicellum) ; etc.

Incertum esse videtur qua regula inscribi soleant nomina ad latinam suffixam « cellus » pertinentia : nam ex « c » latino profectum est mox « s » sonorum : « damoi» seau, oiseau, réseau » ; mox « ss, c » : « arbrisseau, lion-

(1) Littré, apud Glossarium.

(2) Cf. exempla apud Littré.

(3) Cf. Rothenberg, opus cit., p. 42.

» ceau, monceau, jouvenceau », etc. Animadvertamus tamen licet sæpius post consonantem inscribi « c » litteram : « lionceau, ponceau, pinceau, faisceau », etc.; post vocalem sæpius « ss » : arbrisseau, vaisseau », etc. : qua in re hodiernus sermo noster cum antiquiore parum congruit.

Ad insertam « er » suffixam tandem veniamus. Primum omnium fatendum est rarius inde deminutivum fieri novum nomen. In vocabulis apparet illa suffixa, quæ facile ad verbalem infinitivum referas, ut plane recta informandi nomina ratio hœc videatur : *chanterelle* (chanter) ; *bordereau* (border) ; *hachereau* (hacher) ; *passerelle* (passer) ; *taperelle* (taper) ; *tombereau* (tomber); « hachereau » solum deminutivam signif. accepit. In aliis vocabulis difficilius intelligitur unde suffixa « er » inserta sit : *bandereau* (bande) ; *hobereau* (hobe) ; *lapereau* (ex eodem primigenio atque apud nostrum « lapin ») ; *mâtereau* (mât) ; *poëtereau* (poëte) in malam partem abit.

Haud dissimilis suffixa illa « er » ejus quam sæpius accepere nostra nomina in « ie » desinentia (suff. lat. « ia »), ea præsertim quibus designatur, cum collectiva significatione, seu labor quidam, seu locus in quo labor effici solet, seu tandem quid ex labore evenerit : « bijouterie, soierie, » boulangerie, charcuterie, argenterie, blanchisserie, ca- » valerie, diablerie, fonderie, fourberie, joaillerie, ladre- » rie, lingerie, oisellerie, pelleterie, porcherie, trésorerie, » tromperie, verrerie », etc. Quibus in vocabulis, ut merito conjicit Diez (1), « r » plerumque originem duxit ab nominibus in « ier, er, eur » desinentibus (ex lat. « orium, » orem ») : « bijouterie » (bijoutier) ; « horlogerie » (horloger) ; « tromperie » (trompeur) ; « trésorerie » (trésorier), etc.

(1) *Gramm. des lang. rom.*, trad. française, II, p. 279.

Per imitationem earum formarum reor informata fuisse nomina nostra supra enumerata « bandereau, poëtereau, » lapereau », etc., numero sane paucissima ac recentius in sermonem francogallicum inducta.

Quædam nomina in « eau » desinentia digna sunt, seu propter sensum, seu propter originem, quibus singulis ac separatim studeatur : *bagatelle* ab italico « bagatella » assumptum est ; deminutivum est ac simul leviter in malam partem abit ; apud *chameau,* fem. *chamelle* conversa est suffixa « elus » in « ellus » (= lat. « camelus »). Vetus lingua rectius habuit « chameil, cameil : set cenz ca- » meilz e mil osturs muiers », chans. de Roland, V. 31 ; sic ibid. V. 129, 645, 847; etiamque « chamoile », Roman de Ren. V. 22605 (1). Jam ab XII^a^ ætate reperitur « chamel » ; non magis deminutivum fit *chandelle* (= lat. « candella » pro « candela ») ; falso quoque ad suffixam « ella » accesserunt : *querelle* (= « querella » pro « querela ») ; *tutelle* (= « tutella » pro « tutela ») (2). Ceterum constat jam in lingua latina exstitisse « candella, querella, tutella ».

Apud *anneau, écrouelle, marteau* minime deminutiva prior latina suffixa « ulus, ula » (annulus, scrofula, martulus) in « ellus, ella » mutata est : « annellus, scrofella, » martellus » (3).

Deminutiva quidem forma *haridelle,* sed plane obscura ejus origo est ; proprium nomen « Isabeau » in feminam incidens masculinam admisit formam ; jure conjicere videtur Diez vocab. nostri *javelle* originem ab lat « capulus » facto « capellus, capella » (olim « gaville, gavelle »). *Gargamelle,* vox omnino popularis, ab francogallico fonte non est ortum ; *moëlle* non ad suffixam « illa, ella », sed ad

(1) Cf. Rothenberg, p. 40.
(2) Cf. Rothenberg, p. 41.
(3) Cf., p. 4-5.

« ulla » pertinet (medulla); *taureau* (taurellus), *tonneau* (tonne) ad intentivam prope significationem accedunt.

Immerito tandem suffixa « eau » apud nomina hæc adhibita est : *chéneau*, quod etiam melius sit « cheneau » vel *chenau* (= lat. « canalis »), idem « ac chenal » ; *linteau* (= lat. « limitaris ») pro « lintal », quod ipsum pro « lintar » fit ; *marmenteau* pro « marmental » (lat. « materiamen »).

Si contrahenda videntur quæ supra de suffixa « eau, elle » dicta sunt, constat plurimis in « eau, elle » desinentibus vocabulis deminutivam inesse significationem ; quædam sed pauca in malam partem abire ; pauciora tandem ad intentivum sensum accedere. In aliis vero ac numerosissimis quæ non enumeravimus, paulatim ac prope ab principio sermonis nostri, quum omnino deesset aut usu omissum esset primigenium, evanuit deminutiva significatio. Perpauca tamen non omnino ab antiquo sensu abhorrent, neque vere deminutiva haberi queunt. : Sic *fontanelle*, olim « parvus fons » ; nunc longe aliud significat ; *gazelle*, deminutiva forma arabici « ghaza », nihil deminutivi servavit ; idem dicas de *hirondelle*, deminutivo veteris nostri « aronde, ironde » (= lat. « hirondo-hirondinem ») ; *fourneau* (frgall. « four », lat. « furnus », vet. frgall. « furn ») deminutivum simul atque intentivum habetur ; *fabliau*, *fableau* olim « fablel » ex lat. « fabulellus », quod deminutivum est latini « fabula », non nihil deminut. servavit.

Ceteris vero nominibus in « eau, elle » exeuntibus, quorum pleraque subjacent, nihil jam inest deminutivi :
« agneau, aloyau, anneau, baliveau, bandeau, boyau, be-
» deau, berceau, bluteau, boisseau, bordereau, bouleau,
» bourreau, boyau, bureau, cadeau, carreau, caveau, cer-
» ceau, cerneau, cerveau, chalumeau, chameau, chapeau,
» chapiteau, château, ciseau, copeau, coquardeau, corbeau,
» couteau, créneau, cuveau, doubleau, drapeau, écheveau,

» écriteau, escabeau, étourneau, fardeau, flambeau, fléau,
» fourreau, fricandeau, fuseau, gâteau, gluau, godiveau,
» gruau, grumeau, hoyau, joyau, jumeau, lambeau, lin-
» teau, liteau, maquereau, moineau, museau, naseau,
» niveau, nouveau, panneau, passereau, pipeau, plateau,
» pommeau, préau, radeau, rameau, rateau, rideau, ron-
» deau, rouleau, roseau, ruisseau, sureau, tassau, traîneau,
» tréteau, troupeau, trousseau, trumeau, tuyau, vanneau,
» veau, verseau; — aisselle, allumelle, bretelle, cannelle,
» cervelle, chanterelle, chapelle, citadelle, citronnelle,
» coupelle, crécelle, curatelle, dentelle, échelle, écuelle,
» escabelle, escarcelle, étincelle, femelle, ficelle, filoselle,
» flanelle, gamelle, gravelle, jumelle, libelle, manivelle,
» margelle, ombelle, pimprenelle, ridelle, ritournelle,
» rouelle, sauterelle, semelle, truelle, villanelle. »

Apud quæcumque nomina ad suffixam « eau » pertinent, notandum est vocalem litteram « e » suffixæ « eau » evanuisse, quum primigenium ipsum in vocalem desineret. Sic « joyau, boyau, gruau, hoyau, tuyau » pro « joyeau » (= gaudiellum); boyeau (= botellum); grueau (= gru- » tellum); hoyeau (ex frgall. houe); tuyeau (= tubel- » lum) », etc.

6). — LAT. ETUM (frgall. OIE, AIE). — Rectissime quidem « e » apud latinum « etum » primum « ei » deinde « oi » edidit.

Quæ autem nomina in « etum » desinentia jam in latino sermone existebant, ut « cannetum, olivetum, rosetum », etc. (1), ea brevi in romanogallica lingua feminina facta sunt « canneta, oliveta, roseta », etc. : unde suffixa « eie, » oie », atque, annis labentibus, « aie ».

« Aie » semper collectiva est, ut jam latina suffixa « etum » : *aunaie* (alnetum) : « bois, vignes, aunois, gar-

(1) Vide, p. 7.

» dins, prés ne se mesurent pas selon la mesure des ter-
« res » (1); *boulaie* per nostrum « boul + etum » informatum; « boul » autem ad lat. « betula » respondet; diutissime vocabulo «boul» pro hodierno« bouleau » Francogalli usi sunt; *cannaie* (cannetum); *cerisaie* (« cerise » = lat. « cerisa » pro « cerasa », ex cerasum); *chênaie*, olim « ches-
» naie » (= lat. « casnetum » pro « quercinetum »); *coudraie* (= frgall. « coudre + etum; coudre » vero est lat. « corylus », ejusque in locum successit nostrum « cou-
« drier »); olim erat « coudroie » (2); *foutelaie* (ex francogall. « foutel », quod deminutivum est simplicis « fou =
« fagus »); *fougeraie* (fougère); *frênaie* (« frêne », lat. « fraxinetum »), in picardica dialecto « frenoye »; *futaie*, olim « fustoie » (= lat. « fustetum », ex « fustem »); dicimus « bois de haute futaie » (id est « nemus »); *olivaie* « olivetum », jam pæne exoletum); *ormaie* (orme); *saussaie* (= salicetum), olim « saussoie » etiam que « sau-
» choi » (3).

Sunt et declinata nomina ab arboreis nominibus in « ier » desinentibus orta : *châtaigneraie* (châtaignier); *oseraie* (osier); *pommeraie* (pommier); olim « pommeroie » locum significabat in quo mala servari solebant; *roseraie* (rosier).

Antiqua sane in nostro sermone omnia illa nomina ac plerumque ad latina vocabula respondent; apud pauca tamen, ut « fougeraie, châtaigneraie, oseraie, roseraie », suffixa nostra ad francogallica nomina accessit.

Quædam evanuerunt : *nojaie* (nucetum); *sapinaie* (sapinetum), in cujus vice adhibita est nostrum « sapinière ».

Non pertinet *claie* (= lat. « clida »), olim « cloie », ad suffixam frgall. « oie, aie ».

---

(1) Beaum XXVI, 1°, in XIIIª ætate, apud Littré.
(2) Romancero, p. 67, XIIª æt. apud Littré.
(3) Vide Littré, apud vocab. Saussaie.

Masculina forma in nonnullis nominibus ad vicos aut urbes designandas prodest : sic « Aulnay, Châtenay, Ci« vray, Vadenay, Vavray », etc., quæ nomina in Campania provincia præcipue numerosa sunt ; antiquior et forma permansit apud « Fontenoy ». Diez tandem (1) masculina hæc nomina profert ex antiquo nostro sermone excerpta : « aunoi, chaumoi, sablonnoi »; sic et « glaioloi » (vet. « glaiol = gladiolus ») : unde existimare licet ex « etum, » eta », per medias rectasque formas « ei » (= lat. « e »), « oi, oué, é (ai) », ortas esse suffixas « oy, ay, aie ».

7). LAT. INUS (frgall. « in, » femin. « ine »). — Cum lat. « īnus, īna » congruit suffixa nostra « in, ine » : rectissime enim « ī, » cui tonus aderat, permansit. Ut in latino sermone, pleraque ex nostris vocabulis in « in » desinentibus olim adjectiva nomina fuere ; multa etiam nunc reperire est quæ nondum substantiva facta sunt : *agneline* (agnel) ; *alpin* (alpinus) ; *aquilin* (aquila) ; *argentin* (argentinus), unde substant. nomen *argentine* ; *azurin* (azur) ; *badin* (ex eodem primigenio quo « badaud » profectum) ; *blondin* (blond) ; *câlin*, idem, ut suspicor, atque « canin ; » mire enim cum nominis « canis » sensu congruit ejus et vetus et recentior significatio : « câlin » apud nos prius fuit « homo piger » et « otiosus, » deinde « blandissimus ; » conferas licet vocem nostram « paresseux comme un chien » apud vulgus usitatam. Non jure inscriptum est vocabulum « câlin ; » rectius sit « calin ; » *canin* (canis) rarum est ; crebriore usu est femininum « canine ; » *cristallin* (cristal) ; *crépusculin* (crépuscule) ; *divin* (divinus) ; *enfantin* (enfant) ; *ignorantin* (ignorant) ; *ivoirin* (ivoire) ; olim « ivorin ; » *levantin* (levant) ; ab doctis *pulvérin* (pulverem) atque *purpurin* (purpura) adscita sunt ; *salin* (sal) ; *sanguin* (« sanguineus, » quasi « sanguinus »).

(1) *Gramm. des lang. rom.*, opus cit, II, p. 333.

Plura tamen nomina jam omnino substantiva facta sunt : *capucin* (burgund. « capuchain, » picardic. « capuchin ») origine non francogallicum est, nisi illud ex nostro « capuce » (= ital. « capuccio ») exiisse contendas ; sed verius dicas idem cum ital. « cappucino » congruere ; forma vere francogallica esset « capuchin, » ut jam « capuche, capuchon ; » ex « capucin » femininam formam habemus « capucine, » id est quoddam floris genus ; *citadin* (ital. « cittadino, » ex ital « citta » = lat. « civita- » tem ») ; *grenadin* (grenade) ; *marin* (marinus) ; *poitevin* (Poitou) ; *messin* (Metz) ; *philistin* (philistinus) ; *rondin* (rond) ; *sauvagin* (sauvage) nonnihil demunitivi servavit ; *zéphyrin* (zéphyre).

Apud superiora nomina suffixa « in, ine » nihil aliud quam originem declarat, atque rarissime deminutiva est ; non magis deminutiva eadem apud sequentia hæc nomina, quæ ad varios fontes pertinent : *ballerine* (« bal, baller, » cf. « ballet») ; *bassin* (« bassinus, » quod apud Grégoire de Tours fit « bacchinon ») ; *cantine* (ital « cantina ») ; *capeline* (lat. « capa ») : *carabine* (ital. « carabina ») ; *chemin* (caminus) ; *corbin* (corvinus) ; *cousin* (lat. « cosinus » pro « consobrinus ») ; *cornaline* (ital. « cornalina ») ; *cuisine* (lat. « cocina » pro « coquina ») ; *dauphin* (delphinus) ; *discipline* (disciplina) doctorum opera informatum ; *escarpin* (?) ; *fantassin* (ital. « fantaccino ») ; *farcin* (lat. « farciminum ») ; *farine* (lat. « farina ») ; *gourdin* (gourd) ; *gratin* (gratter) ; *lapin* (ex primigenio quodam « lap » adhuc obscuro) ; *matin* (matutinus) ; *picotin* (picoter) ; *ruine* (ruina) ; *sapin* (sappinus) ; *sapine* (sapin) ; *sardine* (sardina) ; *satin* (ital. « setino » ex lat. « seta ») ; *strapontin* (ital. « strapontino »).

Non desunt quæ in malam partem abeunt, sed rarius cum latino vocabulo congruunt ; ab variis primigeniis orta sunt ad quæ suffixa nostra « in, ine » accessit, ut vere francogallica habeantur : *badin* (ex primigenio « bad »

quod apud « badaud, » exempli gratia, videre est); *bavardin* (bavard); *bouquin* veterrimus liber (german. « buch »); *calotin* (calote) de sacerdotibus coutumeliose dicitur; *catin* (in breve coactum ex proprio nomine « Catherine » = lat. « Catharina ») femina est quæ libidini indulget; olim vero rusticam tantum feminam significabat; *chauvin* proprium nomen brevi in promiscuum conversum : de iis hominibus dici solet qui immodicum patriæ amorem prædicant; *coquin* sine dubio cum latino « coquinus » ex « coquus » congruit : quum enim apud Romanos culinam ii inter servos curarent, qui parvi fierent, nihil mirandum est si postea « coquus » et inde « coquinus » tenuissimus quidam homo vel fur ac pusillus habitus est; *cretin* (?); *dandin* olim erat qui toto corpore in utramque partem vacillabat (cf. nostrum hodierum verbum « se dandiner »); deinde stultissimus homo ac pessimi status; incerta ejus vocabuli origo est; cf. tamen anglicanum verbum « to « dandle = bercer. Quo tempore bellum illud cui nomen apud nos inscribitur « Guerre de cent ans » debacchabatur, tanta fuit majorum nostrorum cum Anglis communitas, ut plura Anglorum nomina in usum venire potuerint; exemplum autem profert Littré noster ex XIVª ætate assumptum, ut « dandin » jam antiquum jure dicas. « Dandin » olim adjectivum nomen haud semel in proprium nomen conversum est, semper in malam partem abiens, et mox ridiculum quemdam et avarum judicem (apud La Fontaine), mox rusticum hominem locupletatum ac stulte superbum (apud Molière) significabat; *faquin* (ital. « facchino »); *flandrin* (Flandre); *galantin* (galant); *galopin* (« galoper, » galop »), proprie parvulus ille puer, cui, ut adultos homines sequatur, currere necesse est; *gourgandine*, contumeliosa appellatio cujus origo ignota est; *gamin* (pro « gambin?) »; *gredin* (ex primig. « grit = avaritia : » nam primitus nihil aliud erat quam mendicus homo); *ignorantin* (ignorant) adject. ac subst. nomen; *hutin* (vet.

frgall. « hustin » =querelle); *libertin* (lat. « libertinus»), olim, vel in XVII^a^ ætate, qui religioni parum obsequebatur; nunc vero libidinosus homo; *mannequin* (germ. « männchen »); *mâtin* (lat. « mansatinus, masatinus, mastinus ») non tantum in canem sed et interdum in hominem coutumeliose incidit; *mesquin* (arabic. « maskin »); *muscadin* (muscade) olim deminutivum nomen : « parvus quidam « pastillus; » nunc, cum mala significatione, « nitidus » ac « putidus homo; » *mutin* (mutus?); *pantin* (ex proprio nomine « Pantin »); *pasquin* (ital. « pasquino »); *patelin* (exproprio nomine « Pathelin »); *plaisantin* (plaisant); *poupin* (lat. « pupinus » ex « pupus, pupa; » cf. nostra vocabula « poupée, poupon ») adjectivum est; *régentin* (regent, régenter); *robin* (robe); *roussin* olim quoque « roncin » (ex vet. frgall. « rous, ros » = german. « ross? ») *spadassin* (ital. « spadaccino »); *trottin* (trotter); *turlupin* (?).

Deminutivam denique significationem suffixa « in ine » accepit, sed sæpe jam per suffixas « el, et, ot » primigenium in deminutivam formam abierat : *agnelin* (agnel); *ballotin* (ballot, balle); *bouquetin* (« bouc », per inusitatum « bouquet »; *buffletin* (buffle + et); *caissetin* (caisse + et); *charretin* (charrette); *chevrotin, chevrotine* (chèvre + ot); *crottin* (crotte); *culottin* (culotte); *diablotin* (diable + ot); *fagotin* (fagot); *gazetin* (gazette) jam exoletum; *maillotin* (maillot); *manteline* (mantel); *marteline* (martel); *ragotin* (ragot); *roquetin* (roquet).

Bulletin (bulle + et) jam non deminutivum habetur.

Nonnunquam nulla suffixa interposita est; nihilominus vero deminutivum est vocabulum ; *bambin* (ital. « bambino », ex « bambo »; cf. græcum βαμβαλός, unde lat. « bambalium »); *bécassine* (bécasse); *bobine* (« bombinus, bombus ? »); *bottine* (botte) ; *brigandine* (brigand = pedestris miles), id est « armatura » ; ab sensu deminutivo abest : *brigantin, brigantine* (ital. «brigantino »); *cassine*

(casse); *cervin* (cerf) quasi collectivum est ; *chopine* (chope); *craquelin* (craquer) ; *crépine* (crêpe) forma quidem, sed jam non sensu deminutivum est ; *figurine* (figure) ; *fortin* (fort); *grappin* (grappe) minus in dies deminutivum fit; *lettrine* (lettre); *lopin* (?) ; *oursin* (ours); *palanquin* (palanc, palan) non deminutivum ; *pilotin* (pilote) ; *serpentin* (serpent) jam non deminut. ; *tableautin* (tableau) haud recte informatum, velut si ex « tableaut » ortum sit (1) ; rectum vetusque nomen esset « tabellin »; *tailladin* (taillader); *tambourin* (tambour) ; *taupin* (taupe) ; *tetin* (tette).

Digna sunt quædam nomina in quibus sigillatim consistamus : *calepin* (proprium nomen ital. « capelino ») leviter deminut. est; sic *canepin* (« cannapium, « ex cannabis); *capeline* (lat. « capellina ») quanquam per deminitivum « capel » informatum vix deminutivum est; *casaquin* (casaque); *chaumine* (chaume) olim adj. nomen, nunc subst., in malam partem abit; *chicotin* (falso pro « sucotrin », ex insula « socotora ») adhuc « sucotrin » in XVIª ætate, leviter in malam partem abit apud popularem vocem : « amer comme chicotin »; *clopin* (claudipes ?); *coulevrine* (couleuvre) ab priore ac deminutiva significatione omnino discessit ; sic et *crapaudine* (crapaud), sed ex deminut. sensu nonnihil servavit *coussin* (=lat. « culcitinum », ex culcita), olim quoque « coissin ».

Funin (frgall. « fune » = lat. « funis » intentivum est.

Gourdin, quoddam baculi genus, cum ital. « cordino » congruere videtur, atque absimile est alius vocabuli olim apud nos usitati « gordin » quod a nostro « gourd, gourde = lat. « gurdus » non abhorret ; cf. nostra « engourdir, engourdissement », quibus nulla est cum baculo « gourdin » conjunctio.

Marcassin origine obscura est; non tamen dubitari potest quim deminutiva sit significatio.

---

(1) Cf. Sureautier, suffixa aud, aude.

Pulvérin, olim quoque « poulverin » (ex ital. « polverino) non videtur apud nos ad deminutivum sensum unquam accessisse.

Alia nomina, quanquam ad nostram particulam « in, ine » pertinentia cum lat. suffixa « inus, ina » non rectissime congruunt.

Aveline ad lat. « avellana » respondet : unde apud Ménagier, II, 4 : « figues, dates, raisins, avelaines ; atque apud A. Paré VIII, 23 : la grosseur de demie avelaine (1). Mutata igitur est « ana » in « ina » ; constat tamen apud Latinos fuisse usitatum « avellina »; *alevin,* pisciculus (lat. « alevamen »), rectius sit « alevain ».

Brodequin (ital. « borzacchino »), olim « brosekin » ex flam « brosekin » exiit. Primum pro « corium » fuit ; mutata postea significatio non tamen unquam deminutiva facta est. Notabile fit in locum « s » litteræ successisse « d » litteram.

Castine est german « Kalkstein », neque quidquam ei deminutivi inest.

Cavin (cave) olim erat « cavain » etiamque « cavein » : unde existimandum est suffixam « inus » in locum prioris « anus » successisse (2).

Eparvin (hispan. esparavan) in « in » quoque « ain » mutavit ; olim apud nos exstitit « espavain, esparvain » (3).

Connin pro « connil » (= lat. cunīculus, cunīc'lus, conil », cujus, propter « c », littera « l » madida facta est; deinde per solitam « l » consonantis cum « n » littera permutationem, « conin ») (4) ; prope exoletum est.

Eglantine deminutivum est veteris « aiglent » quod reperias apud nostrum « églantier », olim « eglenter,

---

(1) Littré, Glossarium, atque Rotenberg, p. 79.

(2) Cf. Rothenberg, p. 78.

(3) Cf. Rothenberg, p. 78.

(4) Cf. Rothenberg, p. 78-79.

eglentier » (chanson de Roland V, 114), aut « aiglanter » (Roncev., p. 79, apud Littré. « Aiglent » (Audefr. le Bast., Romancero, p. 79, apud Littré) respondet ad lat. « aculentum » ab « aculeus » ortum, ut jure Diez conjecit.

Fretin (anglic. « farthing ») deminutivum ac leviter in malam partem abit.

Lambin, id est qui suis rebus tardius incumbit, ut olim grammaticus « Lambin », latinorum scriptorum aliquot interpres, in malem partem abit.

Narine est pro « narille » (= lat. « naricula ») quod olim solum usitatum erat; reperias tamen « narine » in XIIIª ætate.

Pepin deminutivum est; assentior equidem opinioni qua Rothenberg (1) « pepin » ad. lat. « pepo-peponem » ac vet. frgall. « pepon », mutata suffixa, refert.

Péquin nuper etiam contumeliosa erat eorum appellatio qui rei militari non indulgebant: cum nostro « pékin » (= textile quoddam ex urbe « Pequin » importatum) congruit.

Poussin, olim « pulsin, poucin » est lat. « pullicēnus », apud quod « e » in « i » conversum est, ut apud plurima verba : « implēre = emplir », etc.; sic *raisin* ad lat. « racēmus » respondet atque minime deminutivum est.

Ab deminutiva quoque significatione abest *serin*; merito dicitur hoc nomen cum lat. « citrinus » propter colorem congruere; sed forma « serein », cujus exemplum unum Littré præstat, argumento est illud idem ad lat. « sērenus » haud semel accessisse. Sic tandem *terrine* ab lat. « terrēna » ortum est.

Nonnunquam collectiva fit suffixa femina « ine » : *alepine* (alep); *amandine* (amande); *bandoline* (bandolo ?); *brillantine* (brillant); *buratin*, *buratine* (burat, bure);

(1) p. 79.

castorine (castor); *citrine* (citrus); *cafeïne* (café); *crêpeline* (crêpe + el); *crinoline* (crin); *diamantine* (diamant); *fibrine* (fibre); *galantine* (ex primig. « gal ? »); *guanine* (guano); *latrines* (latrina); *levantine* (levant); *lustrine* (lustre); *limousine* (limousin); *marine* (marinus); *mousseline* (moussol); *mulhousine* (Mulhouse); *onguline* (ungulus); *poitrine* (pectorina); *popeline* (pro « papeline = papalina » ex « papa »); *percaline* (percale); *saline* (salin); *taffetaline* (taffetas) atque *tartaline* (tartan) haud recte informata sunt ambo per ceterorum similitudinem, ut « popeline, percaline »); *veloutine* (velouter); *vermine* (vermis), etc.

Plurima nunc etiam ejus generis nomina quotidie informantur, quæ ad vestes textiliaque pertinent aud ad unguentariam aud tandem ad elementa ex quibus res corporaque constant. Quæ enumeravimus per latina aut francogallica vocabula componi solent, atque nunc vere popularia haberi possunt; sed et alia sunt vel numerosiora ab doctis illita quæ, ex latinis vel ex græcis primigeniis profecta, ut « albumine, morphine, stearine, caséine, gélatine, glycérine, etc. », ab collectiva significatione valde discedunt neque in materiem nostram incidunt (1).

Quum olim apud propria quædam nomina ad homines pertinentia deminutiva fuisset suffixa « in », nihil ex ea significatione permansit : Colin (Colas), Gérardin (Gérard), Girardin (Girard), Jupin (ex primig. Jup apud Jupiter); Justin (Juste), Paulin (Paul), Perrin (Pierre), Perrotin (Pierrot), etc.

8) LAT. — ITTA, ITTUS (unde francogall. ET, ac postea suffixæ AT, OT). Ut prope principem locum inter deminutiva nostra nomina suffixæ « at, et, ot » tenent, sic maxime dubiæ sunt origine. Quare intento animo eas inspiciamus licebit.

(1) Cf. A. Darmesteter, *Création actuelle des mots nouveaux dans la langue française*. Paris, Vieweg, 1877, p. 111 et 194.

Primum omnium declarandum est suffixas « at, et, ot », omnium romanicarum linguarum esse, Valachia tantum excepta, et antiquitus fuisse usitatas. Itaque nonnulli statim celticæ cuiquam origini diffisi sunt, qui fieri non potuisse existimarent ut suffixa primum intra Galliæ fines inclusa per totam romanicarum gentium regionem efferretur; easdemque credebant aut ab germano quodam aut ab latino sermone oriundas. Sed ante omnia contrahenda sunt quæ de re illa ab doctis viris disputata sunt.

Diez (1) solita vi ingenii materiem eam aggreditur : postquam per quædam indicia aut exempla suffixas nostras « at, et, ot », ab initio mediæ ætatis in usum venisse monstravit, concludit earum originem apud sermonem cum romanicis linguis arctissime conjunctum esse inquirendam. Quædam celticorum dialecti, inquit, uti solent suffixis « that, nat, net, nit » ad feminimum genus tantum pertinentibus ; sed præterquam quod longe ultra Galliæ fines suffixæ « at, et, ot » effusæ sunt, ita ab nostris suffixæ « that, nat, net, nit » sensu distant, ut fonti huic minima sit adhibenda fides.

Pot (2) non dubitat suffixas germanas « aht, eht, iht, oht » proferre, quæ rem leviter præstringenti recte cum nostris congruunt, « ht » in « tt » apud italicum aut francogallicum sermonem, in « t » apud hispanicum et provincialem mutato. Jure tamen origini huic Diez adversatur, nam germana suffixa « ht » utpote ad latinam « osus » respondens, multum ab deminutiva significatione abest.

Jam animum Grimm (3) intenderat in antiquam Germanorum suffixam « z », prius « t », in propriis hominum nominibus usitatam, ut apud « Chuonzo, Thiozo, Winizo ; quæ quidem opinio, quanquam parum constat utrique suf-

(1) *Gramm. des lang. rom.*, trad. franç., Vieweg, II, p. 342.
(2) Personennamen, p. 189, apud Diez, II, p. 342.
(3) III, 703, apud Diez, II, p. 342.

fixæ « z, t » eumden inesse sensum, eo versimilior fiebat, quod jam compertum erat suffixas germanas « hart, wald » (apud nos « ard, aud ») primum in propria hominum, deinde in cetera nomina incidisse; quum præterea ea esset germana suffixa ut promiscue ad omnes vocales litteras « a, e, i, o » (az, ez, iz, oz, at, et, it, ot) accommodaretur, sequebatur facilis quædam creandi declinata ratio, quæ germanorum exemplo informari possent. Quis enim nescit maturius Germanos milites apud romanos exercitus stipendia meruisse etiamque plurimos per romanas provincias multo ante sedem constituisse, quam universa barbarorum multitudo in rem romanam quasi consensu impetum faceret? Quis autem neget potuisse fieri ut populares homines seu in Gallia, seu in Hispania, seu in Italia novum illum informandi nomina modum paulatim imitarentur, qui omnino in latina lingua defuerat? Nam ita natura comparatum est ut in antiquo statu linguæ nunquam permaneant, et usque vocabulorum rationem renovent, seu vetera renascantur, seu ab externis gentibus alia assumantur aut adsciscantur.

Nihil igitur obstare videbatur quin germanæ suffixæ ab Grim excogitatæ declinata ejusdem generis nomina apud romanicas gentes ederent. Quod si reperiamus postremis rei romanæ annis exstitisse deminutiva vocabula in « ittus, ottus » aut « attus » desinentia et ad propria hominum nomina pertinentia, jam liceat ea ad suffixam germanicam « z » (t) referre.

Animadvertit autem J. Cornu (1) suffixam « itta » ad appellandas feminas ex usu olim fuisse : nam sequentia hæc exempla

Anitta	Frunitta	Lucitta	Seneccita
Bonitta	Gallitta	Nonnitta	Suavitta

(1) Romania VI, p. 247.

Caritta	Julitta	Pollitta	Vilitta
Favitta	Livitta	Pusitta	

ab « Otto Jahn » (1) atque ab « Josef Klein » (2) excerpta sunt. Jure vero credit J. Cornu suffixam eam « itta » minime ab suffixa « et, ette » distare, qua romanicæ linguæ in designandis propriis hominum aut feminarum nominibus jampridem utuntur.

Sed non satis est suffixam « itta » in latino sermone quondam exstitisse demonstrare : fueritne vere latina an per externi cujusdam sermonis vim paulatim immissa sit, inquirendum est (Vix opus est memorare masculinam formam « Suavittus », quam G. Gröber falso ab Jahn prolatam existimat). De re autem ea doctissime disputavit G. Gröber (3).

Anquirit suffixa ne « itta » cum latina « itia, itja » forte congruat : quæ res si se ita habeat, fieri quædam latini sermonis cum Saramatiorum lingua comparatio possit. Sed multum inter se « tj » ac « tt » in latino sermone distant, nedum ullo modo conjungi possint. Quum enim neque primis neque recentioribus linguæ latinæ temporibus neque etiam post eversum imperium romanum nusquam « tt » successisse videatur, temere credat aliquis indogermanicam esse suffixam « itta » aut cum vere latina finali syllaba « itia » commisceri posse. Quanam vero ætate ac quomodo apud Latinos illa invaluerit parum claret : nempe inter multas popularis sermonis reliquias vel ab antiquiore reipublicæ tempore assumptas, nullam invenias deminutivam formam in « itta » desinentem. Sæpius qui-

(1) Hermes, III, p. 190-191.

(2) Kosenamen auf *itta* Rheinisches museum für Philologie, NF, Ad. 31 (1876), 297-300.

(3) Zeitschrift für romanische Philologie herausgegeben von Dr G. Gröber, 1878, II Band, p. 182-184.

dem nomina in « itta » exeuntia cum latinis primigeniis congruunt, ut recte conjungere queas :

« Attitta » cum « Atti-us, — Bonitta » cum « Bon-us, — Julitta » cum « Juli-a, — Livitta » cum « Livi-a, — Lucitta » cum « Luci-a, — Suavitta » cum « Suavi-s, — Vilitta » cum « Vili-s, » ac forsan

« Nonnitta » cum « Noni-us »? — « Gallitta » cum « Gall-us »? — « Favitta » cum « Fave-a ? — Caritta » cum « Car-us » ? — « Pollitta » cum « Polli-o »? — « Pussitta » cum « Pusi-o »? — « Seneccita » cum « Sene-x = Senec-s ? ».

Sed et aliæ suffixæ vel ab alienis sermonibus ortæ cum latinis primigeniis aggregari solent (vide suffix. « ard, aud ») : nihil igitur inde sequitur quod fonti unice latino suffixæ « itta » fidem faciat. Latinum etiam « sagitta », quod maturrime in romanum sermonem intromissum est et apud optimos scriptores invenitur, non vere romanum, sed externum quoddam telum est.

Ejicienda igitur est latina suffixæ « itta » origo. Quid autem? Num veterem ac deminutivam formam « t » (deinde « z ») ab Grimm revocatam aut alteram quoque germanam apud Pott memoratam « aht, iht, oht » retinebimus? Neutram, ut opinor, quanquam haud immerito priori Diez indulsisse videtur. Etenim ex allatis supra exemplis judicandum est primum in latino sermone viguisse feminina nomina in « itta » desinentia, atque interposito tempore masculinam « ittus » formam in viros incidisse. Quod quum in germanica lingua non fieret, in celtica vero solitum esset, arbitrandum est propter celticæ suffixæ « nat, net, nit » imitationem, « nit » ceteras præcedente, paulatim in latino sermone invaluisse suffixam « itta », quæ novorum deminutivorum exemplar evaderet. Non sane me fugit celticam eam suffixam sensu dissimilem esse latinæ « itta » ; credo etiam non sine adminiculo germanarum suffixarum informatam fuisse latinam, ut, adjuvante utriusque linguæ memoria, facilius per omnes imperii romani populos brevius

« itta » vulgaretur. Nisi igitur aperte demonstraverit aliquis ex germano tantum fonte assumptam fuisse latinam suffixam « itta », verisimilior erit celtica ejusdem origo. Eo vertatur necesse est indagantium opera.

Utcumque vero se res habet, cum latinis « attus, ittus, » ottus » rectissime congruunt suffixæ nostræ « at et, ot »: ut enim a principio ordiamur, compertum habemus « a » latinum in ital. aut hispan. aut portug. aut provinc. sermone plerumque permansisse, nec quidquam apud nos ei vocali mutatum fuisse, quotiescumque ante duas consonantes staret. Quum præterea duplex consonans olim ad unam tantum recidere soleret, plane rectissimæ fuere suffixæ « atto » (ital.), « ato, ate » (hispanic.), « at, ate » (provinc. ac francogall.) ab latina « attus » ortæ.

I vocalis, sequentibus duabus consonantibus, in « e » plerumque in ital., hispan., portug. ac provinc., semper in nostro sermone mutata est: unde ital « etto »; hispan. « ito, eto, ete »; portug. « ito, eto, ete »; provinc. « et »; frgall. « et » femin. « ette » (olim « ete »: nam ante XVI^am ætatem « ete » scriptores nostri inscribere solebant) (1).

Ante duas consonantes positum « o » in omnibus quoque romanicis linguis permansit, nisi quod interdum, præcedentibus litteris « l, m, n, r, s », in diphthongum apud Hispanos conversum est. Inde ital. « otto », hispan. « ote », provinc. « ot », frgall. « ot », femin. « otte » etiamque » ote »: quando « otte », quando « ote » inscribendum sit, difficilius requiras; sæpe tamen « ote » in locum nostri « otte » succedit, quum feminina tantum forma ex usu fit: « capote, pelote, fiévrote », etc.

Rectissime igitur diximus ad lat. « attus, ittus, ottus » respondere nostras « at, et, ot »; sed nondum exhausta est

---

(1) Cf. apud Littré vocabulum Violette.

de eisdem disputatio : ut enim constat apud Latinos suffixam « itta » ceteris « atta, otta » ac masculinis « ittus, » attus, ottus » sine dubio anteivisse, sic in nostro sermone adeo diversis ætatibus exeuntia in « at, et, ot » nomina apparere videntur, ut pæne credas suffxas nostras « at, et, ot » non eodem tempore fuisse natas, ac quasi vicissim in usum cecidisse.

Sed immaturum jure habebitur judicium nisi affuerint numerosa exempla : quam plurima igitur in « at, et, ot » desinentia, una eademque serie ea nomina permiscentes, apud quæ « at, et, ot » suffixæ, seu recte seu per medias particulas « el, er, ill », ut in pluribus aliis declinatis fieri solet, primigenio subjunctæ sunt, nomina enumeremus : quæ postquam oculis nostris subjecta fuerint ; postquam notaverimus qua potissimum ætate (apud Littre nostri glossarium) in lucem prodierint, planius forsan patebit quo ordine, suffixæ nostræ ortæ sint, simulne omnes ex usu factæ sint, an diversis ætatibus singulæ serpere inceperint.

α). AT. — *Aiglat* (aigle) hodie prope exoletum ; *louvat* (loup, provinc. « lobat ») parum quoque usitatum ; *corbillat* (primigen. « corb » ex lat. « corvus » + suff. « ill »). Deminutiva significatione carent : *goujat* (gouge), quod in malam partem abit ; mutata « at » in « ard » suffixa, exstat quoque in quibusdam dialecticis seu lotharingicis seu campanicis « goujard » ; legimus apud scriptores XVI[ae] ætatis : « les gougeas » ; postea etiam notatum fuit « goyat », quasi ex latino « gaudium » vocabulum hoc esset ortum ; *pissat* (pisser), in XIV[a] ætate « pisat » ; *verrat* (lat. « verres »). Habuit vetus lingua *aigrat* (aigre).

Paucissima sunt nomina in « at » desinentia ; cavendum est ne cum eis conjungas nomina haud recte ex suff. lat. « $\bar{a}$tus, $\bar{a}$ta, $\bar{a}$tum assumpta.

β). ET, femin. ETTE. — 1° Deminutiva sunt : *affichette* (affiche) ; *aiguillette* (aiguille) olim quoque « aiguillette »,

XIV^a^ æt; *aiguerette* vet. vocab. exoletum = hodiernum « aiguière »; ex « aqua » ortum est; *aiguet* (vetus vocab. = « rivulus », ex « aqua » quoque ortum); *aillet, allet* (vet. vocab., ex nostro « ail »); *airet, airete* (vet. frgall., ex « aire = area »); *ambrette* (ambre) in vet. sermone « amblete », XIII^a^ æt; *ancelete* (vet. ex « ancel = ancilla »); *amelete, armelete* (vet. ex nostro « âme », olim « anme, alme, arme » = lat. « anima »); *aisset, aissete* (vet. ex lat. « axis »); *ailette* (aile), olim « ailete »; *amourette* (amour), jam in XII^a^ æt. « amorete »; *anet* (vet. ex « anas »); *anete* femin. (vet. ex eodem « anas »); idem significabat atque hodiernum « cane »; *anglet* (vet. ex nostro « angle = angulus »); *anguillette* (anguille) pæne exoletum; *apertelet* olim adjectivum deminutivumque nomen latini « apertus »; cf. nostrum adverbium « apertement »; *archet* (arcus); *archelet* (quasi ex « archel » = lat. « arcus + el »). Cur « archet, archelet », non « arcelet », ut apud nostrum hodiernum « arceau » vetusque « arcelet »? Ego quidem existimo non sine vi quadam nostri « arche = arca » id effectum fuisse, quanquam sensu ambo nomina « arcus, arca » inter se omnino distant; olim existebat *archete*, deminutiva forma latini « arca », apud nos « petit coffre ».

Banneret (bannière), jam apud Froissard; *baguette* vere deminut. est quanquam in sermone nostro primigenium deest : « baguette » ab ital. « bacchetta », deminutivo italici « bacchio » (= lat. « baculus ») ortum est; *bachelette* recens est vocab. atque in puellam blande incidit; vetus forma est « baisselette, basselette » forsan, ut Littré exitimat, ab lat. « vassus, vassa » ortum; *ballet* (bal) jam in XII^a^ ætate usitatum magis in dies ab deminut. sensu discedit; *bannette* (banne); *banquette* (banc); *barbichet* (barbiche); *barcelonnette*, quod rectius sit *bercelonnette* (bercer, berceau); *barillet* (baril), XIII^a^ æt; *baronnet* feminin. *baronnette* (baron); *barquette* (barque); *barrette* ex lat.

« birrum, birrus » ; cf. lat. « birretum » jam in VI[a] ætate apud francicam quamdam chartam inscriptum ; veterrimum igitur « barrette » est, quamquam apud Littré nullum ante XIV[am] ætatem editum invenitur exemplum ; *basset* (bas) olim tantum fuit adjectivum, ut exoletum *grosset ; bassinet* (bassinet), « bacinet » apud Girart de Ross., 4807, XIV[a] æt. ; *batelet* (batel, bateau) ; *bâtonnet* (bâton, baston), « bastonet » apud Renart, 12308, XIII[a] æt ; *becquet* (bec) olim quoque « becchet », veterrimum est ; *bergerette* (bergère) ; *bergeronnette* (= berger + on + ette) ; exemplum edidit Littré « berchelonnette » quod ab « bergeronnette » haud multum distare videtur ; sed jam apud Villon (XV[a] æt.) invenias « bergeronnette » ; *béquet* (bec), idem ac supra dictum « becquet », XIV[a] æt. ; *bichette* (biche) blandum nomen quod in puellas tantum incidit ; *bidet* (celtic. « bidau » = lat. « debilis homo ») hodie parvulum equum significat ; sed vel in XVI[a] ætate, parvum adhuc telum erat ; *billet* (anglic. « billet », ex latino « billa = schedula », apud nos « contrat, mémoire ») nonnihil deminutivi servavit ; sic femin. *billette*, id est quæ præscripta sunt seu ponti seu alii cuilibet loco ubi portorium est solvendum ; sensu omnino abhorret illud ab altero *billette*, deminutivo nostri « bille », id est divisum siccatumque lignum ; « billet » antiquum est ; *binet* (biner ?)

Biquet (bique), femin. *biquette* ; femininum nomen recens est, sed « biquet » ante XVI[am] ætatem editum est ; *blanchet* (blanc) adject. nomen prope exoletum ; sed alterum est *blanchet* (id est exiguus texti pannus, ex nostro « blanc »), XIV[a] æt. ; *blanquette* (blanc), parvum pirum cui canum inest folliculum ; ibi « c » durum perstitit et cum masculino « blanc » congruit ; « blanchet » vero femininum « blanche » imitatur. Persuasum habeo antiquius esse « blanchet » quam « blanquette », prius vere franco-gallicum, alterum seu cum picardica dialecto seu cum germ. « blanch » congruens. Creberrime « blanchet » in

homines, ut proprium nomen, incidit; *bluet* (bleu), pro « bleuet, eu in u » jam ab XVI[a] ætate contracto; *bluette*, adhuc in XVI[a] ætate « scintilla quædam », deinde parvum leviusque carmen cujus acumen « scintillæ instar evolat », olim inscriptum erat « beluette » vel « berluette »; ex normannico « berlue » patet nihil aliud esse nostrum « bluette » quam deminutivum nominis « berlue », quod ex particula « ber + luca » (lat. « lucere ») constat; *boîtelette* (boîte + el) XV[a] æt; *bobinette* (bobine); *bosquet* (in recentiore latino « boschettum »), ex lat. « boscum, buscum » in quo « c » permansit durum; apud Rutebeuf, 296, XII[a] æt., invenitur « boschet; » *bossette* (bosse); *bottelette* (bottelle, botte) : par « cartiers » et « boteleites », XII[a] æt. (vide Littré); *bouchette* (bouche) pæne exoletum, XII[a] æt.; *bouclette* (boucle) XIII[a] æt.; *boulette* (boule) vere deminutivum est; sed et apud vulgus in malam partem abit et aliquid stulte aut imperite actum in voce « commettre une boulette » significat; *bourrelet* (ex vet. frgall. « bourrel, bourre ») : portant atours et « bourrelets » (Villon, apud Littré); *bourrette* (bourre); *bourriquet* (bourrique); *boursette* (bourse) XV[a] æt; *branchette* (branche) XIV[a] æt.; *branlette* (branler) exoletum; *brebiette* (ex « brebis » quasi ex « brebi ») prope exoletum; « mais fit prendre la brebiette al povre home », Rois, 158, XII[a] æt.; apud Froissart legere est « brebisette », quod rectius cum nostro « brebis » congruit; *briquet*, *briquette* (brique); *brochette* (broche) XV[a] æt; pro « brochette » dici solet in picardica dialecto « brokète », ut « broque » pro « broche »; inde quoque apud nos *broquette; brunet, brunette* (brun) XII[a] æt; *brusquet* (brusque); *bûchette* (bûche) XIV[a] æt; *burette* (buire) XIV[a] æt.

Cabasset (cabas) minus in dies usitatum; *canette* (cane german. kahn) XV[a] æt., jam ab deminutivo sensu longe distat; *caquète* falso pro « caquette » (caque); *carpette* (carpe) in teneram incidit carpam; evanescit deminutiva

significatio nostri *carrelet* (XIV^a^ æt.), quod sensu multiplex est, sed recte cum « carreau, carrel » congruit ; deminutivum est *carrelette* (carrelet); *cartelet, cartelette* (carte, cartel); *casquet* (casque); *cassolette* (cassole) ; *causette* (causer); *ceinturette* (ceinture); *chaînette* (chaîne); XIII^a^ æt. ; *chalet* sensu deminutivum est, sed ejus origo non francogallica est, utpote ab Helvetiis assumpti ; *chambrette* (chambre); *chanelette* (chanée); *chardonnet* (chardon); *châtelet* XIII^a^ æt ; olim « petit château » (chastel) ; *chaussette* (chausse) prope nihil ex deminut. signific. servavit ; *chemisette* (chemise) XV^a^ æt. ; *chenillette* (chenille); *chevillette* (cheville); *chevrette* (chèvre) XIII^a^ æt. ; *chopinette* (chopine); *chosette* (chose) XIII^a^ æt., nunc rarum ; *cigarette* (cigare) ; *ciselet* (cisel) ; *clairet* adj. nomen (clair) ; *clapet* (german. « klappe »); *claquette* (claquer); *clarette* (lat. « clarus »); *clochette* (cloche) XIII^a^ æt. ; *cochelet* jam rarum (« coq » = lat. « coccum »); *cochet* (coq) XIII^a^ æt.; *cochonnet* (cochon) ; *cœuret* (cœur) exoletum ; *coffret* (coffre) XIII^a^ æt.; *collerette* (collier) ; *colonnette* (colonne) ; *coquet* (« coq » aut « coche »), substantivum nomen = « navicula »; idem nomen, sed ajectivum, nihil servavit deminutivi ; *cordonnet* (cordon) ; *cordelette* (corde) ; *cornuchet* (« cornu » per declinatum « cornuceus » ; cf. nostrum « corniche » ; *cornudet* (« cornude », idem ac nostrum « cornue » = lat. « cornuta »); existimo « cornude » exemplo provincialis « cornuda » fuisse informatum ; *côtelette* (côte + el); *cotonnette* (coton); *couperet* (couper) jam aliquantum ab deminut. significatione abest ; *coussinet* (coussin) XV^a^ æt.; *cramponnet* (crampon); *crépinette* (crépine, crêpe) XIII^a^ æt.; *crochet* (« croc » per declinatum quoddam « croca » ab german. « krok » ortum) XIII^a^ æt.; *croisette* (croix) XV^a^ æt.; *croquette* (croquet); *cuvette* (cuve) XIV^a^ æt.

Dariolet; dariolette, ex proprio nomine « Dariolette », quod deminutivum est vocabuli « dariole » ; *dentelet*

(dent); *devinette* (deviner); *dînette* (dîner); *doucet* (doux) XIIIª æt.; *doguet* (dogue); *douillet* (ex vet. adj. frgall. « douille » = lat. « ductilis »); *droguet* (drogue) jam exoletum, minimi pretii textum erat.

Echelette (échelle) XIIª æt.; *écouanette* (écouane); *écouvette* (vet, frgall. « escoube » = hodiernum balai) XVª æt.; *écumette* (écumer); *enclumette* (enclume); *épinette* (épine) XVª æt., prope nihil ex deminutivo sensu servavit; *épinglette* (épingle); *époussette* (« pousse », id est lat. « pulvis ») olim « espoussette » XVª æt.

Facette (face) XIIIª æt.; *faiblet* (faible) adj. nomen exoletum; *fauchet* (faux) XVª æt.; *fauchette* (faux); pro « fauchet » olim quoque inscribere solebant « fauquet »; cf. du Cange apud vocab. « falcetus »; *faucillette* (faucille); *fenouillet*, *fenouillette* (fenouille) vix deminutivum est; *ferret* (fer); *feuillette*, dolium quoddam, ab nostro « feuille » minime ortum est : « du Cange », apud vocab. « phiala », recte credit « feuillette » falso inscriptum fuisse pro « fialette, fiolette »; invenitur et « fillette »; *fillette* (fille) XIVª æt.; *finet* (fin) jam non adject. atque in malam partem sæpius abit; *flammette* (flamme); *fleurette* (fleur) XIIIª æt.; *formulette* (formule); *foinette* (« foine, fouine » = lat. « fuscina »), *follet*, *follette* (fol) XIIª æt.; *forcettes* (force); *fraisette* (fraise) XVª æt.; *frisette* (friser); *frisquet* (« frisque », ex germ. « frisch »), id est in nostro sermone : « un peu frais »); forma femin. *frisquette* minime deminutiva est; *furet* (fur) XIIIª æt.

Gabaret (gabare); *gansette* aut *gancette* (ganse); *garçonnet* (garçon) XIIIª æt.; *gaufrette* (gaufre); *gaulette* (gaule); *genevrette* (genièvre); *gentillet* (adj. ex nostro « gentil »); *girouette* (girer, lat. « gyrare ») jam ab deminut. signific. abest atque in homines incidens in malam

(1) Vide infra, p. 79.

partem abit; *gorgerette* (gorge + er) XIII[a] æt.; *gloriette* (lat. « gloria ») XIII[a] æt.; *grandelet* (grand + el) XIV[a] æt.: *grasset* (gras) XIII[a] æt.; *grêlet* (grêle, lat. gracilis); *grenette* (graîne, cf. « grener »); *grenouillette* (grenouille); *gueulette* (gueule); *guilleret* adj. nomen cujus significatio sine dubio deminutiva est; sed omnino obscura ejus origo est.

Hachette (hache) XIII[a] æt.; *hâtelet, hâtelettes* (hàte + el); *herbette, herbelette* (herbe): « qui herbelette poignent », Berte, I, XIII[a] æt.; *historiette* (histoire, historia); *houpette* (houpe).

Jardinet (jardin) XV[a] æt.; *jambette* (jambe); *joliet, joliette* adj. (joli) XIII[a] æt.

Languette (langue) XIV[a] æt.; *levrette* (levrier); *logette* (loge) XIII[a] æt.; *loquette* (loque); *louchet* (louche?) vix deminut est; *louvet, louvette* (loup, louve).

Maisonnette (maison) XII[a] æt.; *maillolet* (vet. frgall. « maille + ol) XV[a] æt.; *mantelet* (manteau, mantel) XIII[a] æt.; *marquette* (marque); *martelet* (marteau, martel); *matinet* (matin) vet. frgall.; *mentonnet* (menton); *miette* (mie) XIV[a] æt.; *mignonnette* (mignon); *mollet* (mou, mol) XIV[a] æt.; *morselet* (mors); *moulinet* (moulin) XIV[a] æt.

Navette (navet); *noisette* (noix) XIV[a] æt.; *nonnette* (nonne) XV[a] æt.; *nouet* (nœud, nodus, cf. « nouer ») XV[a] æt.; *nouette* (noue = german. « noch », in lat. sermone, « ductus »); *noulet* (noue).

Odelette (ode + el); *œillet* (œil) id est « parvus oculus »: nunc rarissimum; sed in florem incidens maxime usitatum est ac deminut. sensum amisit; *œillette* minime cum œil congruit, nam vel in XIV[a] ætate dicere adhuc solebant « oliette » (ex lat. « oleum ») XV[a] æt.; *onglet* (ongle); *opérette* (opéra); *orangette* (orange); *oreillette* (oreille); *osselet* (os, ossel), XII[a] æt.; *ourselet* (ours + el) exoletum.

Paillette (paille) XIV^a^ æt. ; *palmette* (palme) ; *pauvret*, femin. *pauvrette* (pauvre) XIV^a^ æt. ; *perchette* (perche) XIV^a^ æt ; *piécette* (pièce) ; *pierrette* (pierre) ; *pigeonnet* (pigeon) ; *pincette* (pince) XIV^a^ æt. ; *piquette* (piquer) ; *planchette* (planche) ; *plaquette* (plaque) ; *pochette* (poche) ; *poêlette* (poêle) ; *poirette* (poire) ; *poivrette* (poivre) ; *pommette* (pomme) XV^a^ æt. ; *pompette* (pompe) adj. nomen in malam partem abit ; *poudrette* (poudre) XV^a^ æt. ; *poulet* (poule) XIII^a^ æt. ; *poulette* (poulet) XIII^a^ æt. ; *propret* (propre) : olim quoque « propet » dicere solebant.

Quenouillette (quenouille).

Rainette (raine) ; *ramassette* (ramasser) ; *râpette* (râpe) ; *raquette* (?) olim « rachete, rasquette : les os de la rachette » de la main qui sont huit », H. de Mondeville, f^o^ 21, XIII^a^ æt., apud Littré ; *réglette* (règle) ; *rincette* (rincer) ; *risette* (ris) ; *roselet* (rose + el) ; *rôlet* (role) XIII^a^ æt : *rondelet* (rond + el) XIV^a^ æt.

Savonnette (savon) ; *seinette* (seine) ; *sellette* (selle) XIV^a^ æt. ; *sergette* (serge) ; *serinette* (seriner) ; *serpette* (serpe); *seulet* (seul), in sermone nostro : « un peu seul », XIII^a^ æt. ; *signet* (signe) XIII^a^ æt. ; *simplet* (simple) XV^a^ æt.; *sochet* (soc) ; *soleret* pœne exoletum, ex frgall. « soler = soulier ») ; *suret*, femin. *surète* (sur).

Tablette (table) XIII^a^ æt. ; *talonnette* (talon) ; *tapette* (taper) ; *tantinet* (tant + in) ; *tartelette* (tarte + el) XIV^a^ æt. ; *tassette* (tasse) ; *tendret, tendrelet* (tendre, tendre + el) ; *tenettes* (tenir) ; *tigette* (tige) ; *tonnelet* (tonneau, tonnel) XIV^a^ æt. ; *torchette* (torche) ; *torquet, torquette* ab nostro « torche » quoque orta sunt, sed « qu » pro « ch » propter memoriam latini « torquere » fuit ; *touret* (tour) XIII^a^ æt. ; *tournette* (tourner) ; *tourtelet, tourtelette* (tourte + el) ; *trappette* (trappe) ; *tringlette* (tringle) ; *tripette* (tripe) XV^a^ æt. ; *trompette* (trompe) XIV^a^ æt. ; *tuilette* (tuile).

Vagonnet (vagon) ; *vannet* (van) ; *verdet, verdelet* (vert) ;

vergette (verge) XIV^a^ æt. ; *versiculets* (lat. versiculus) ; *villette* (ville) XII^a^ æt. ; *vinaigrette* (vinaigre) XIV^a^ æt. ; *vinette* (vin) XIII^a^ æt.

2° Sequentia hæc nomina, amissa deminutiva significatione, novum sensum accepere : *banquet* (banc) XV^a^ æt. ; deminutiv. signif. amisit, convivium quoddam significaturum ; *barbet* (barbe) ; *barbette* (barbe) XIV^a^ æt. ; *barbelet* (barbe + el) ; *barbuquet* (in vet. serm. = præfixa « bar + bouquet, bouchet », ex nostro « bouche ») leviter in malam partem abit ; *baquet* (bac) olim « bacquet » ; *bavette* (baver) XIII^a^ æt. ; *baudet* (baud = lætus) ; *bavolet :* doctissimo equidem Littré assentior, qui « bavolet » cum « bavoler » (= bas + voler) conjungit ; *béret* aut *berret* cum nostro « barrette » congruit, nam ad lat. « birretum respondet » et per provincialem « berreta » apud nos invaluit ; *béquette* (bec) genus quoddam forcipis ; *baillet* adj. nomen hodie exoletum forma tantum deminutivum est ; ex vetere nostro « baille » cujus origo ignota est, profectum est ; *baillette* (bailler) ; *binette* (biner) ; alterum existit *binette* (= ridiculum caput ex proprio nomine « Binet », qui regem Ludovicum XIV comere solebat); in malam igitur abit partem ; *bonnet* incerta est origine ; si tamen ex voce « chapel de bonet » quæ haud semel apud mediæ ætatis scriptores inventa est judicari licet, « bonet » textum quoddam olim fuit, cui, nescio quomodo, accedebat adject nomen « bonet » deminutivum nostri « bon » moxque in substantivum conversum ; *bougette* (vet. frgall, « bouge » aut « boulge = lat. « bulga ») intentivum est, XV^a^ æt. ; *bouquet* idem est ac « bosquet », quocum olim commixtum fuit ; prius, ut « bosquet », pro « petit bois » erat ; deinde deminut. signific. amisit ; recentius est quam « bosquet » ; *brevet* olim « brievet », deminutivum nostri « bref, brief », jamdudum ab priore sensu discessit, XIII^a^ æt. ; *brochet* (broche) in piscem incidit.

Cabriolet (cabrioler, cabriole) ; *cadet,* proprie « petit

chef », olim « capdet » XV^a æt. ; quasi ex lat. « capitettus » per vim picardicæ consuetudinis; *caillette* (cailler) XIV^a æt. ; *caillette* (caille) in malam partem abire solet et in illos incidit qui coturnicis instar garriunt ; *caret* picardica forma pro « charet » (char) nihil deminutivi servavit ; sic et *carette* (caret) ; *carpette* (ex lat. « carpere = détirer de la laine »), olim « carpite », XIII^a æt. ; *casquette* (casquet, casque) ; *cervelet* (cerveau, cervel) ; *chapelet* (chapeau, chapel), olim « petit chapeau » : « un capelés ses » cheveux tient », apud Littré, XIII^a æt. ; *chardonneret* (chardon) ; per medium quoddam « chardonner, chardonnier », nisi tamen per similitudinem ceterorum nominum quibus adest suffixa « er » informatum est ; *chardonnet* (lat. « cardo ») ; *chenet*, proprie « petit chien », XIV^a æt. ; *chevalet* (cheval) XV^a æt. ; *civette* (cive, ex lat. « cæpa ») ; *clarinette* (clarine, clair) ; *cliquet*, *cliquette* (vet. frgall. « cliquer », unde « cliqueter ») XV^a æt. ; *colifichet* (coller + ficher) ; *colleret*, rarum nomen, sagena quædam ; *collet* (col) XIII^a æt. ; *coquet* (coq) adject. nomen, deminut. signific. pœne amisit ; nonnunquam in malam partem abit ; olim substantivum tantum erat : « com maintes femmes » par le mont..... com li coques torne au vent » apud Littré, XIII^a æt. ; *cornet* (corne) XIII^a æt., cujus femin. est *cornette*, XIII^a æt. ; ; *cotret* pro « coteret, costeret » (coste = lat. « costa ») ; *couchette* (couche) XV^a æt. ; *couperet* (couper) ; *courbet* (courbe) ; *courbette* (courber) sæpe in malam partem abit ; *crevette* (lat. « crapetta » pro « capretta », ex « capra ») (1) ; *criquet* (cric) per onomatopeiam, id est per sonitus imitationem ; *croquet* (croquer).

Dameret (dame + er) non jam deminut. est atque in malam partem abit ; *doublet* (double) XIII^a æt. ; *doublette* (double) ; *douillette* (douillet).

---

(1) Cf. Romania, VIII, p. 441.

Epaulette (épaule); *escampette* jam non usitatum nisi apud vocem « prendre la poudre d'escampette », id est « s'enfuir au plus vite » ; ex vet. frgall. « escampe » ortum est, unde verbum nostrum « escamper » nunc exoletum (cf. nostrum hodiernum « décamper ») ; *espagnolette* (espagnol).

Fausset (falsus), adject. nomen, XIII[a] æt.; non dubito quin substantivum nomen « fausset », id est « veruculum » quo foramen in cado terebratum præcluditur, cum eodem « falsus » aut nostro « faux » congruat ; *fauvette* (fauve) XIII[a] æt.; *femmelette* (femme + el) XV[a] æt.; in malam partem abit ; olim existebat et « femmette » recte ab nostro « femme » ortum ; *fleuret* (fleur); *foret* (forer) ; *fourchette* (fourche) XIV[a] æt.; *freluquet* (freluche) in malam partem abit ; *fumet* (fumer) ; *furet* (fur) XIII[a] æt.

Gaillardet (gaillard) ; *galette* (galet) XIII[a] æt.; *gantelet* (gant + el) XIII[a] æt.; *garcette* quanquam ab nostro « garce » ortum nihil deminut. servavit ; *goulet* (vet. frgall. « goule », hodie « gueule »), XIV[a] æt.

Hochet (hocher): parum patet deminutiva significatio ut apud pleraque nomina ab infinitivis orta.

Jonchet (jonc) XV[a] æt.; *jouet* (jouer).

Lacet (lacs, laqueus) ; *lavette* (laver) non tantum linteolum significat quocum supellectilem aqua eluere solent, sed et in molliorem æquo hominem cum pessimo sensu incidit : « c'est une lavette » : quæ vox omnino popularis est ; *layette* (« laye » = germ. « lade » ?) ab deminutiva signif. magis in dies discedit ; *livret* (livre) XIII[a] æt.; *lorgnette* (lorgner) ; *lunette* (lune) XIV[a] æt.

Margriette, margrillette (margarita) ; *margoulette* (= « mar » pro « mal + goulette », deminut. latini « gula », quod apud nos « gueule » factum est) ; in malam igitur partem abit ; *marionnette*, velut ex « marion », sed

revera ex « mariole », deminutivo nostri « marie » (cf. apud Littré vetera exempla) ; *martinet* (martin) hirundinis quoddam genus ; *martinet* (lat. « martus ») XV[a] æt.; *mazette* in malam partem abit, sed obscura ejus origo est ; *menuet* (menu) ; *minet*, *minette* (mine?); *mollet* subst. nomen (mol) ; *motet* (mot) XIII[a] æt.; *mouchettes* (moucher) ; *mouillette* (mouiller) ; *muet* (« mu » = lat. « mutus ») ; *mulet* (« mul » = lat. « mulus ») ; *musette* (« muse » = lat. « musa = chanson »).

Navet (lat. « napus », unde vet. frgall. « né ») ; olim exstitit « naviet » : « cum se fust d'un naviet », chanson d'Antioche (apud Littré) XII[a] æt.

Oubliettes (oublier) ; *ourlet* (vet. frgall. « orle, orl » = lat. « orula », deminutivum nominis « ora »).

Paillet (paille) ; *palette* (vet. frgall. « pale » = lat. « pala ») XIV[a] æt.; *palette* falso pro *poêlette* (« poêle » = lat. « patella »), XV[a] æt., apud Villon : « en sang qu'on met en poelettes secher » ; *pâquerette* (vet. frgall. « pâquis, pasquis », ex lat. « pascuum » per medium « pasquier », quoniam in pascuis floret « pâquerette ») ; olim exstitit et *pasquette*, quod recte cum nostro « pasquis » congruebat ; *passette* (passer) ; *patouillet* (patouiller) ; *perroquet*, si docto Scheler adhibenda fides est, ab nostro « perruque », lat. « parruca » ortum est ; *pipette* (pipe) ; *pirouette* partim congruit cum nostro « roue » = lat. « rota » ; unde vero « pi » ? Num ab « pive » primigenio nostri « pivot », ut opinatur Diez, an ab frgall. « pied », an aliunde ortum sit, haud facile dijudices ; animadverto tamen apud dialecticos quasdam exstitisse etiamque nunc exstare « pie », quasi « pî » = hodiernum « pied » : unde forsan « pierouette, pirouette » ; antiquissimun hoc vocabulum ; *plumet* (plume) præter ceteros sensus, in malam partem abit in populari voce : « avoir son plumet ; » *pompette* (pompe) adjectivum nomen est : male in eum incidit qui vino liberius indulsit ; *poucettes* (pouce).

Rabette (rave) ; *raclette* (racler) ; *rainette, rénette* (rainer) ; *rainette, reinette* (raine) malum quoddam ; *rochet* (ex vet. germ. « hroch, rocch », recentius « rock ») deminut. signific. partim amisit ; neque deminutivum alterum hoc *rochet* (ex vet. germ. « rocco » ; cf. hodiernum germ. « rocken » = lat. « fusus », frgall. « fuseau ») ; *roitelet* (roitel, roi) ; *roulette* femin. forma veteris nostri « roulet » ab frgall. « roule » orti ; *roussette* (roux) piri quoddam genus.

Serpolet (lat. « serpillum », per provinc. aut hispan « serpol ») ; *sifflet* (siffler) XIIIª æt. ; *serviette* (servir) ; *sommet* (ex vet. frgall. « som = lat. summus ») ; *sonnette* (sonner) ; *soufflet* (souffler).

Taquet (tac) ; *tiercelet* (tiers + el) ; *toupet* (vet. frgall. « toup ») XIIª æt.

Valet (olim « vaslet », deminutivum latini « vassalis » unde latinum « vassalettus ») XIIª æt. ; *vignette* (vigne) ; *violette* (vet. frgall. « viole » = lat. « viola », unde quoque adject. nomen *violet*) XIIª æt.

3° Sequuntur nomina quæ diversis de causis primigenii simplicis significationem acceperunt : *belette* (celtic. « bele » aut. german. « bille » = martre) ; *bourrelet* (vet. frgall. « bourrel, bourre ») ; *braguette* (brague) atque *brayette* braie) idem significant ; antiquius vero « braguette » ; *brouet* olim « broet », XIIIª æt., deminutivum erat nostri « breu » (= lat. « brodum », ex germ. « brod ») ; *brouette* (lat. « birota ») XIIIª æt. (1) ; *buffet* dubito num unquam deminutivum fuerit ; plane obscura est ejus origo ; *buvette* (buvant) ; ignotus quoque nostri *cabaret* fons : dubium est verene unquam deminutivum fuerit ; *cachette* (cacher) XIVª æt. ; *cachet* (cacher) ; *canette* : german. vocab. « kanne » in latino sermone factum erat « canna », unde nostrum hodie

(1) Cf. nomen brouette, apud Littré et A. Brachet.

inusitatum « cane, chane » : « comanda que l'om quatre chanes de eve emplist », Rois, 317; propter memoriam german. primigenii effectum est ut pro « chanette » evaderet « canette », ut jam « cane »; *charrette* (char) : « en treis carettes », chans. de Roland CCXL, v. 2972, XI^a^ æt.; *feuillet* (feuille) XV^a^ æt.; *flageolet* (ex vet. frgall. « flajol » XV^a^ æt.; *galet* (ex vet. frgall. « gal », id est « caillou »); *gobelet* (lat. « gubellus », ex « cupa ») XIII^a^ æt.; *jaquette* (ex vet. frgall. « jaque », id est « habit court et serré »); *loquet* (loc); *maillet* (mail) XIII^a^ æt.; *rainette* (frgall. « raine » = lat. « rana »); *robinet* (robin) XV^a^ æt.; *tabouret* (deminut. veteris « tabour » pro « tambour ») XV^a^ æt.; *tinette* (tine) XV^a^ æt.; *toquet* (toque).

4° Ad suffixam francogallicam « et, ette » non pertinent aut ad externam originem referuntur : *amulette* (lat. « amuletum »); rectius esset « amuleit, amuloit ».

Bilboquet constare videtur ex « bil » = nostrum « bille + boquet = bosquet », ex lat. « boschetum »; pro « bosquetum » factum est « boquetum », unde nostrum jam pæne exoletum « bocquet »; *bassette* (ital. « bassetta »); *cabinet* non ante XVI^am^ ætatem editum est; conjicio externam ejus esse originem (ital. « gabinetto »), nam francogallica forma sit « chabine, chabinet », ut olim ex lat. « capanna » non tantum hodiernum ac recens « cabane », sed etiam prius « chabene » profectum est.

Calumet hodie non magis deminut. est quam nostrum « chalumeau »; doctorum opera informatum est, suspicorque suffixam « et » falso in locum prioris « el » successisse; *caquet* subst. verb. nostri « caqueter » est, neque ei quidquam deminutivi inest; *claret* vere deminut. est, nam « un peu clair » significat; sed in veteri sermone usitatum quoque fuit « claré », quasi ex lat. quodam « claratus » (clarus) (1); antiquius « claré » quam « claret »

---

(1) Cf. Rothenberg, op. cit, p. 61.

esse videtur; *chevet* deminutivum nostri « chef » conjunctum est cum veteri rectiorique forma « chevais » = lat. « capitium : lors se torna Merlins lez le chevez », Merlin, fol. 70, verso, XIII[a] æt.; « Monte au chevais à destre main », du Cange, apud vocab. « capitium » (1); *creuset* sive ab. lat. « crucibulum » (Littré), sive ab germ « krus » (Scheler) ortum est, olim in veteri sermone nostro fuit « croisol, croiseul, creuseul », quod, mutata suffixa, factum est hodiernum « creuset »; *civet* olim « civé », falso propter mutatam suffixam factum est « civet »; sed usque ad annum 1762, in glossario francogallicæ academiæ recte « civé » inscriptum fuit; *cueillette* (cueillir) jure collatum est cum rectiore et antiquiore « coilloite » (= lat. « collecta »).

Dosseret vere deminut. est, atque ab nostro « dos » recte ortum, nisi quod in « r » conversum est « l » deminutivi « dossel, dosselet ».

Escarpolette (ital. « scarpoletta »); *escopette* (hispan. « escopeta ») per imitationem ceterorum vocabulorum « tt » accepit; minime deminutivum est.

Apud *filet* pro « é » est suffixa « et » : « filé (= filatum) » (2).

Maquette (ital. « macchietta »); *malaguette, maniguette* (hispan. « malagueta »); *marmouset*, XV[a] æt. (lat. marmoretum ») rectius fuisset « marmoureit, marmouroi ». Non est quod mireris « s » pro « r » : constat enim apud Parisienses sæpius « r » in « s, z » mutatum fuisse; *mousquet* (ital. « moschetto », hispan. « mosquete »); *muscadet* (muscade) : pro « et » invenitur « elle : il vaut mieux pres beau feu boire la muscadelle », Brassel, XIX (XV[a] æt.).

---

(1) Cf. apud Littré vocab. chevet, atque Rothenberg, p. 61-62.

(2) Cf. Rothenberg, p. 61.

Omelette olim « amelette » etiamque « allumelle, allumette » videtur ab eodem primigenio ortum esse quo nostrum *alumette* (allumer) ; sed dubia origo est.

Pichet est pro « pichier, picher » (= lat. « bicarium, picarium ».

Sonnet (ital. « sonetto ») non deminutiv. est, sed olim exstitit « sonet » alterum (cum eodem sensu ac nostrum « chansonnette », ex frgall. « son ») : « de la joie un sonet chanta, » Renart, 1160, XIII[a] æt.

Tinet (ex « tinalum », ut Forster ; ex « tignellum », ut Scheler suspicatur) suffixam « el » in « et » mutavit ; olim quoque exstitit « tine » (1) ; *trinquet, trinquette* (hispan. « trinquete? ») ; *tercet* (ital. « terzetto »).

Vedette (ital. « vedetta »).

γ) OT, femin. OTTE. — 1° Deminutiva sunt : *aillot* (ail) vet. frgall.; *ancelot* (vet. frgall. « ancel », lat. « ancilla ») exoletum ; sic *anglot* (« angle » lat. « angulus »).

Bachot (bac) ; *ballot* (balle) ; *baillotte* (bail) ; *bardot* nonnunquam falso « bardeau » inscriptum (cf. enim ital « bardotto ») ab frgall. « barde = ephippium » ortum est ; « bardot » deminut. est et in malam partem abit ; *bêchot* (bêche) ; *béchot*, *bécot* (bec) ; *bellot*, *bellotte* (bel) adject. nomen ; *berlingot*, deminut. nostri « berline », in malam partem abire solet ; « berlingot » est pro « berlinot » ; falso accessisse « g » consonantem puto per imitationem ceterorum german. vocabulorum ; *bichot* vetus vocab. (biche) prope exoletum, XIV[a] æt.; *bousingot* (bousin) in malam partem abit ; conjicio « g » propter memoriam anglicani « bowsing » accessisse ; *bourselot* (bourse + el) jam exoletum, XV[a] æt.

Chenevrotte (ex « cannabis » ut nostrum « chanvre » per medium quoddam « chenevis » informatum ; *corbillot*

---

(1) Cf. Rothenberg, p. 63.

(idem ac « corbillat », ex vetere nostro « corbel », hodie « corbeau »); *cuissot* (cuisse); *cuivrot* (cuivre).

Délot (vet. frgall. « deel » = lat. « digitale »).

Enclumot inscriptum quoque « enclumeau » (enclume).

Fiévrotte (fièvre); *fillot* (lat. « filius »).

Gabarot, gabarotte (gabare); *gelinotte* (vet. frgall. « geline » = lat. « gallina »).

Jugeotte (juger).

Massicot (masse); *menotte* (manus); *michotte* (miche); *mignot, mignotte* : vetera hæc vocabula, nunc etiam in quibusdam dialecticis usitata, orta sunt, ut « mignon », ab german. « minnia »; cf. verbum nostrum « mignoter »; *moblot* (deminut. nostri « mobile »), pro « mobelot », leviter in malam partem abit.

Nabot in malam quoque partem abire solet, sed obscura ejus origo est.

Male et interpreteris *parlotte* (parler); *pâlot* (pâle); *pérot* (père); *petiot* (petit), XV^a^ æt.; *picot* (pique); *pilot* (pile) XV^a^ æt.; *poulot* (poule) altera forma nostri « poulet », in puerum incidit velut blandimentum; *pouliot* (poulie).

Râblot (« râble » = lat. « rutabulum »).

Vieillot (vieil) XIII^a^ æt.; olim simul exstitit *vieillet, vieillete.*

2° Deminutiva jam non sunt atque novum sensum acceperunt : *bigot* (?) XV^a^ æt. in malam partem abit; *billot,* deminutivum nostri « bille = pièce de bois », abhoc sensu plane discessit, XV^a^ æt.; *bouillotte* (bouillir); *boulot* (boule) popularis et quasi intentiva vox quæ in malam partem abit; *brûlot* (brûler); *buhot,* tubus quidam (ex antiquo « buie ») : en sa mesun n'ot nule entrée Fors un buiot », Renart, 13748, XIII^a^ æt.; pæne exoletum est.

Cachot (cacher); *caillot* (cailler); *calot* (caler); *calotte* antiquissimum est, si populare nomen latinum « calota » in latinis scriptis repertum respicis; unde vero « calota »?

Littré refert « calotte » ad nostrum « cale », id est feminei capitis tegumentum, cujus origo omnino obscura est. Deminutivum « calette » exstitit : « le dit Gilet osta à icelui Maron sa calette ou barette qu'il avoit sur la teste », du Cange, « calestra », XIVᵃ æt.; « calotte » rectissime cum « cale, calette » congruit; minime igitur necesse est confugere ad lat. « calautica, calautia, calautja », ex quo « caloge » tantum exire potuit; *capot, capote* (cape) aliquantum ab deminutiva signif. discessit; sic *capot* adj. nomen (capot); *chabot, cabot* (cap + ot) cum primigenio lat. « caput » congruit : « qui n'est pas graindres d'un cabot », apud du Cange, XIIIᵃ æt.; *culot* (cul); *culotte* (culot).

Escarbot (lat. « scarabæus »).

Fagot (?) de cujus origine nihil adhuc valde probandum dictum est; *falot*, apud du Cange « fanot » (græc. φανός); *falot* adject. (subst. « falot ») leviter in malam partem abit.

Gargote (?) pessimæ significationis; *gibelotte*, prius « gibelet », XIIIᵃ æt., obscura quoque origine est; *gigot* (gigue); *grelot* videtur cum vet. nostro « graile » = lat. « gracilis » congruere.

Hachotte (hacher).

Javelot credo constare ex eodem primigenio « capellus, capella » quo « javelle : apres lui vait lancier maint gavelot », Raoul de Cambrai, 93.

Lérot (frgall. « loir », lat. « gliris) : lérot » pro « loirot », olim « leirot », ut « recevrai » pro « receveirai, receverai; » *lingot* (?) XVᵃ æt.; *linot, linotte* (frgall. « lin ») XVᵃ æt.

Manchot (vet. frgall. « manc » = lat. « mancus ») XVᵃ æt.; *maillot* (mail); *maillot* (maille); *marcotte* (lat. « mergus » ex « mergere ») XIVᵃ æt.; *margot* (ex primig. « marg » quod apud « Marguerite » reperire est) sæpe in malam partem abit; *marmot* (ex primig. quodam « marm » cujus fons omnino obscurus est) XVᵃ æt.; *marmotte* (ital.

« marmotta », lat. « murem montis »); *marotte* pro « Mariotte » (Marie); *matelot* (?); *matelote* (matelot); *mulot* pro « murot » (lat. « mus-muris ») esse videtur.

Palot (« pale, pelle », lat. « pala »); *palot*, id est « rusticus », in malam partem abiens, cum superiore « palot » congruit; olim « palaut » quoque inscriptum fuit, per suffixam « aut, aud »; *parpaillot* olim « parpaillaud », cum pessimo sensu, incerta origine est; *papillote* (papillon) XV[a] æt.; *pelote* (lat. « pila ») XII[a] æt; *pouliot* videtur ex « polei » = lat. « pulegium » profectum esse.

Rageot in pessimam partem abit; melius forsan sit *rageaud* (rage); *ragot* (?) XIII[a] æt.; *tricot* (?); *quenotte* (vet. frgall. « queune » aut « cane »); *tricot*, id est « baculus » (trique); *tripot* (vet. frgall. verbum « triper » = sauter, danser, trépigner) (?).

3° Apud quædam nomina suffixa « ot » in locum aliarum successit : « boursicoter » nostrum congruit cum *boursicot* pro *boursicaut*; « chevroter » cum *chevrot* pro *chevreau; carotte* (lat. « carota) per ceterorum nominum imitationem informatum est : « Garroites sont racines rouges », Ménagier, II, 5, XIV[a] æt.; « larron tu as retourné carotte », du Cange, XIV[a] æt.; pro « crapaud » nonnunquam invenitur *crapoz, crapot* (1); *échalote* immerito scribere solent pro « escalone, eschaloingne » (= lat. « ascalonia », ex urbe « Ascalo »); *escargot* olim fuit « escargol » (ex + « cargol »; cf. hispan. « caracol »; sed ignota primigenii « caracol » origo est); *magot* ab recenti lat. « magaldus » ortum est; rectius ergo sit « magaud »; *pavot* olim quoque « paot » = lat. « papaver, paave, paau, pao » factum deinde, per medium « v » inductum, « pavo »; falso igitur « pavot » pro « pavo » cum nominibus in « ot » desinentibus conjunctum est, nec quidquam deminutivi unquam habuit.

---

(1) Cf. Rothenberg, p. 83.

Ex tot exemplis quæ consulto numerosissima attulimus, manifesto apparet non tantum multo plura esse nomina in « et » desinentia quam cetera, sed et præsertim eadem ex usu ante fuisse quam suffixæ « at, ot » ederentur. Nempe suffixa « et », quantum ex Glossario Littré nostri perspicere licet, sese primum apud scriptores XI^{ao} ætatis ostendit, deinde in XII^{a} atque XIII^{a} ætate ita paulatim augetur numero, ut hodiernus sermo noster vix locupletior sit ; suffixa « ot » contra, apud scriptores XII^{ao} ætatis rarissima paululum per XIII^{am} increbrescit, sed non multo ante XVI^{am} ætatem majus accepit incrementum ; nunc quidem, id est in XIX^{a} ætate, maximum fit nominum in « et » aut in « ot » desinentium additamentum, ut pæne pariter utraque vocabulorum series augeatur ; non item vero suffixa « at » : nam ita raro invenitur, ut merito dubitari possit verene francogallica suffixa hæc habenda sit, quippe quæ ante XIV^{am} ætatem in litterarum monumentis propemodum non appareat ; quod si qua deinde in usum venerunt, ejus modi nomina jampridem exoleta fieri pleraque comperimus.

Quid ergo inde sequitur ? Haud equidem infitior multa postea afferri posse exempla ex quibus manifestum fiat per scripturas aliquanto ante XI^{am} aut XII^{am} ætatem vulgatas fuisse suffixas « et, ot » ; sed non aliter tamen quam supra concludetur, id est, magis in dies confirmabitur primum « et » suffixam, deinde « ot », postremumque « at » increbuisse.

Jam in latino sermone constat suffixam « itta » (ittus) ante ceteras fuisse editam : sic apud Francogallos se res habuit : primum omnium « itta », deinde « ittus » suff. in propria hominum nomina incidit ; paulo post « ottus, otta, attus, atta » pariter ad homines designandos pertinent ; quum vero plane jam vulgata essent propria illa nomina, paulatim in hoc adhibita sunt eadem ut res mutas notarent. Qua potissimum ætate novus sermo ab latino ortus triplicem illam vocabulorum seriem acceperit, minime

explanare quisquam queat : quum tamen compertum sit in omnibus linguis sermonem scripturæ multo præcurrisse, verisimile fit jam in X[a] ætate plurima in « et », pauciora in « ot », paucissimaque, ne nulla dicam, in « at » desinentia fuisse usitata.

Vix necesse videtur in memoriam revocare vigentem fuisse et nunc etiam esse propriorum nominum in « et, ot, at » desinentium copiam (1) ; sed infinito pauciora quæ ad suff. « at » pertinent.

In principio quasi blandimenta erant propria nomina in « et, ot » desinentia : « Antoinette, Annette, Blanchet, » Georget, Georgette, Michelet, Jacquet, Charlot, Char- » lotte, Henriot, Paulot, Pierrot », etc. ; sed mox evanuit deminutiva significatio.

Sunt tamen qui vel hodie nominibus « Charlot, Jacquot, » Georget, Annette, Juliette », etc., pro « Charles, Jacques, » Georges, Anne, Julie », etc., ut alloquantur pueros aut infantes, utantur : scilicet post tot annos viget apud populum vis ea consuetudinis qua olim ad galloromanum sermonem feraces suffixæ ab latina lingua omnino abhorentes accesserant.

9) LAT. O-ONEM (frgall. ON). — Per suffixam nostram « on », femin. « onne » informata sunt plurima declinata ac masculina nomina, quorum primigenia verba aut substantiva esse solent. « On » ortum est ab lat. « ō-ōnis-ōnem » suffixa, apud quam « ō », ante consonantem « n » positum, recte permansit ; ab XI[a] tamen usque ad XIII[ae] ætatis finem, « ō » latinum jam « o » jam « u » notatum est ; tum vero semper sonus fuit « ou ». Ab XVI[a] præcipue de nare enuntiata est syllaba « on », isque sonus resonat qui apud nos « nasal » dici solet. Haud rara feminina forma « onne », non quidem ab latina sed a vere franco-

---

(1) Cf. Larchey. *Dictionnaire des noms*, 1880.

gallica consuetudine profecta. Nomina deminutiva aut intentiva edidit suffixa « on », sed et alios sensus accepit. Nam, ut in latino sermone, « on » sæpius eum significat ad quem pertinet primigenii notio, aut ejusdem artificium ac laborem, nec quidquam intentivi aut collectivi aut mali tunc secum affert : « bûcheron, espion, forgeron, ferron, » foulon, piéton, vigneron ; — centurion, champion, ta- » bellion » ; femin. « piétonne, championne », etc.

Illorum exemplo informata sunt alia ad populos pertinentia : « Bourguignon, Breton, Frison », etc.

Numerosa quæ sunt animalium : « chapon, charançon, » étalon, faucon, griffon, lion, limaçon, paon, pigeon » ; femin. « bufflonne, lionne, limaçonne, pigeonne », etc. Accedit tandem « on » ad res mutas : « buisson, charbon, » clairon, bouchon, ceinturon, glaçon, jambon, menton », etc.

Sed præter illa nomina, quæ quoniam ad materiem nostram parum pertinent, perpaucis ac prope raptim tractavimus, plurima quoque numeres per quæ sermo noster, amplificata Latinorum consuetudine, seu malam opinionem, seu deminutionem, seu tandem incrementum rerum menti injicit.

In malam partem abeunt atque hominum sunt : « *barbon* (hispan. « barbon ») proprie cui barba producta est ; *biberon* anomalum nomen ab latino verbo « bibere » informatum ; vere francogallica forma esset « beivron » : in hominem incidens, eum qui vino liberius indulget significat ; *brouillon* (brouiller) ; *capon* (ital. « cappone », cf. nostrum « chapon ») ; *clergeon* olim « clerjon » (ex lat. « clericus » per fictum « clericonem », unde « clerionem, » clerjon » ; « c » igitur cecidit) ; *fanfaron* (« fanfare », ex hispan. « fanfa », quod merito Diez existimat per soni similitudinem fuisse informatum ; *fripon* (friper), id est, « ut gulosus comedere » ; « friper » obscura origine est »).

Glouton, id est, qui nimium ac pleno ore vescitur, ex

lat. « glutonem » (glutus = gosier) ortum est ; nomen hoc in veteri sermone fuit : nom. sg., « gloz » ; acc. sg., « gluton, gloton » ; pro « nequam » ex usu erat ; *godichon* congruit cum nostro « godiche », quod Littré cum « Claude », vulgo « Glaude » conjungit ; constat vero « Claude », præsertim apud rusticos homines, nunc etiam in malam partem abire; qui autem ex « glaude » exire potuit « gode », nisi per vitiosam vocabuli mutationem, quæ ab omni regula abhorret? Incerta igitur nostri « godiche » aut « godichon » origo est, nisi mavis ad lat. « gaudere » (cf. vetus nostrum « gaudir ») confugere, quocum tunc congruere possint non modo « godiche, godichon », sed etiam « go- » daille, godailler », ac forsam « godelureau » ; *griffon* (griffe) ; *grison* (gris) ; *grognon* (grogner) ; adj. nomen utroque genere est ; « une femme grognon » ; subst. quoque femin. habetur : « une vieille grognon ; » *jouaillon* vulgaris vox ab nostro « jouer » per suff. « aille » orta, ut *moussaillon*, ab nostro « mousse » ; *juron* (jurer) ; *laideron* (laid + er, cf. « laidir ») femin. est : « une laideron ».

Larron (lat. « latronem ») : apud Romanos, « latro », primum miles lateri regis appositus, deinde mercenarius, in malam tandem abierat partem : qua in significatione apud nos servatum est « larron » ; *luron :* nominis hujus haud facile reperias originem ; nihil adhuc sanum de eo quisquam dixit : nonne ut « lierre » ac plura alia inscriptum sit pro « l'uron »? Cujus rei nullum equidem argumentum afferre possum ; neque ante de ejusdem fonte apte disputatum erit, quam exempla prolata sint ex prioribus ætatibus excerpta.

Marron (hispan « cimarron »), unde nostrum « marronner », vox omnino vulgaris, id est, impatienter exspectare, ut servus fugitivus ; *marmiton* (marmite) ; *polisson, salisson* congruere videntur cum partic. præs. « polissant, » salissant » : quod sane de « salisson » verisimile fit ; qui vero ab nostro « polir » orta sit significatio substantivi

« polisson » ? Ita inter se sensu abhorrent ambo hæc vocabula, ut in dubio mens hæreat. Neque major fides adhibenda est substantivo « politionem » ab Diez prolato : eadem enim de sensu fit difficultas ; Diez ceterum facile ostendit ex « politionem » subst. feminino oriri potuisse masculinum « polisson », ut « nourrisson » ex « nutritio» nem, poinçon » ex « punctionem » : adhuc sub judice lis est ; *poltron* (ital. « poltrone » aut hispan. « poltron », ex german. « polster = lectum ») ; olim apud nos pro « paresseux » quoque usitatum fuit ; *souillon*, masc. ac femin. « un souillon, une souillon » (souiller) ; *tatillon* (tâter + suff. « ill »).

Non desunt intentiva nomina : *ballon* intentivum deminutivumque est (ex nostro « balle ») ; *cabochon* (caboche), mox subst., mox adj. ; *caisson* (caisse) ; *canton* (vet. frgall. « cant » (?), id est « angulus », apud nos « coin ») ; *capiton* (ital. « capitone ») ; *carton* (carte) ; *écouvillon* (vet. frgall. « escoube » = lat. « scoba », apud nos « balai ») ; *glaçon* (glace) ; *grêlon* (grêle) ; *marron* (ital. « marrone ») ; *oreillon* (oreille) ; *raqueton* (raquette) ; *roson* (rose) ; *salon* (salle) ; *saucisson* (saucisse).

Rognon (olim « roignon », ex lat. « renionem ») initio intentivum fuit, nunc ab priore signific. omnino abest.

Multo numerosiora sunt deminutiva nomina : tunc in homines aut animalia aut in res mutas suffixa « on » incidit, adjuvantibus interdum auxiliatricibus suffixis « aille, er, » ille, ette ».

1° « Homines designantur ». — *Chambrillon* (chambre), servula, subst. femin. : « une chambrillon » ; *demoisillon* (demoiselle) vere deminut. nomen simul in pessimam partem abit ; *enfançon* (« enfant », propter memoriam latini « infantia », ut « enfançon » cum lat. quodam « infantionem » congruere videatur), jam pœne exoletum ; *folichon* (fol.) injicit opinionem veteris cujusdam « foliche = folliceus » ; *négrillon* (nègre + il) ; *nourrisson* (lat. « nutritio-

nem ») ab femin. genere in mascul. transiit; *moinillon* (moine) in malam partem abit, *poupon ;* ut « poupin », ortum est ab lat. « pupus, pupa »; in eo tamen inter se dissimilia ambo hæc nomina sunt quod, declinato « poupin » in malam partem abeunte, « poupon » nihil aliud est quam deminutivum.

2° « Animalia ac sæpissime pulli significantur » : *aiglon* (aigle); *ânon* (ane); *barbichon* (barbiche); *bouvillon* (lat. « bovem »); *brocheton* (brochet); *caneton* (canet, cane); « aneton » quoque (ex « anatem ») vetus lingua habuit; *carpillon* (carpe + il); *chaton* (chat); *dindon* nihil deminutivi servavit, nam marem tantum significat; solebant olim dicere « un dinde, une dinde » pro « un d'Inde, une d'Inde », ac deinde « un dindon »; *faon* hodie « fan » dictum, olim vero « fa-on »; cum lat. « fotonem » congruit; olim promiscue incidebat in omnium animalium pullos; *grillon* lat. « gryllus »; *guenon* (quena? = femina?) primum pro « simia » deinde pro « simiæ femina » fuit; nunc etiam sæpius in malam partem abit pro « anu » cui neque venustas neque dignitas aut virtus adest; *hanneton* (germ. « hahn = gallus »); *lamprillon, lamproyon* (lamproie); *levron*, femin. *levronne* (levrier).

Morillon, parvus quidam anas (« more », id est « niger »); *moucheron* (mouche + er); *oison :* ab « auca » rectissime ortum est; apud quasdam dialecticos usitatum est nomen « ochon »; minime cum nostro « oie » congruit « oison »; quoniam vero ex lat. « avica » exiit « auca », ut « aucellus » ex « avicellus », eodem modo « oison » informatum est quo « oisel, oiseau »; sic et *oisillon* (deminutivum veteris « oisel »); *ourson* (ours); *raton* (rat); *taurillon* (lat. « taurillus »).

3° « Numerosissima quæ ad res mutas pertinent » : *aileron* (aile + er); *banneton* (banne, bannet); abit ejus deminutiva significatio; *barbillon* (barbille, barbe); *becquillon* (bec + ill); *bêcheton* (bêche + et); *béquillon* (bé-

quille) ; *briquaillons* (brique) plurale nomen non tantum deminutivum est, sed propter suff. « aille » in malam partem abit (= brique + aille + on) ; *brouillon* (brouiller) nonjam deminutivum, sed in malam partem abit ; *cabanon* (cabane) ; *caneton* (cane, canet) ; *carafon* (carafe) ; *casson* (casser) ; *chaînon* (chaîne) ; *ceinturon* (ceinture) ; *chevron* (chèvre), cui nihil deminutivi superest ; item *chiffon* (chiffe); *clayon* (claie), olim « cloie » = « clida ») ; *corbillon* (corbeille) nonnunquam « corbeillon » inscriptum ; *clocheton* (clochette) ; *cordon* (corde) ; *cotillon* (cotte + ill) ; *coupon* (couper) ; *crocheton* (crochet) ; *cruchon* (cruche) ; *écoutillon* (écoutille).

Gerbillon (gerbe + ill) ; *cornichon* (lat. « cornu », propter similitudinem declinati « corniche ») ; *fauchon* (faux, faucher) ; *faucillon* (faucille) ; *fleuron* (fleur) in dies magis ab deminut. signif. discedit ; *guenillon* (guenille) ; *goupillon* (« goupil = vulpeculus », quoniam olim « goupillon » vulpinæ caudæ simile erat) ; *fourchon* (fourche) ; *fumeron* (fumer) ; *hacheron* (hacher) ; *hameçon* cum lat. « hamecionem », ex « hamus », congruit ; *jupon* (jupe) ; *lamperon* (lampe + er) ; *lampion* (lampe) ; rectius sit « lampon » ; itaque conjicio « lampion » esse pro « lampillon ; *lanceron* (lance + er, propter « lancier ») ; *lanternon* (lanterne) ; *lardon* (lard) ; *liceron* (lice = lat. « licium », id est hodiernum frgall. « trame », + er) ; *liseron* (lis = lat. « lilium + er ») jam non deminutivum.

Maillon (maille) ; *mamelon* (mamelle) multum nunc ab priore sensu abest ; sic et *manchon* (manche) ; *médaillon* (médaille) ; *mignon* adj. (german. « minni » aut « minnia », id est lat. « amor ») magis ad blandimentum quam ad deminut. significationem accedit ; *minon* congruit cum nostro « mine », ut « minet, minette » ; nunc vero in felem cadit ac deminutivo sensu caret ; sic quoque *molleton*, olim deminutivum adject. nostri « mollet », ex « mol =

lat. « mollis » ; *morillons* atque *morion* (pro « morillon ») gemmæ, ab nostro « more » orta sunt.

Œilleton (œil + et) ; *onglon* (ongle) ; *paillasson* (paillasse) multum ex deminut. sensu amisit ; *paillon* (paille) ; *pelleron* (pelle + er) ; *peloton* (pelote) ; *pendillon* (pendiller); *pinçon* (pincer) vix deminut. permansit ; *poëlon* (poële) ; *poinçon*, id est dolii quoddam genus, obscura origine est, nisi quis contendat idem illud esse ac *poinçon* (= « punctionem », mutato genere) propter formæ similitudinem ; tum vero sit prius « poinçon » quasi intentivum nomen ; alterum non deminutivum ; sic *ponton* (= lat. « pontonem ») ; sed olim exstitit aliud quoddam « ponton » deminutivum nostri « pont » ; *postillon* (poste + ill) ; deminutivum sine dubio quondam fuit ; sed nihil ex antiquo sensu superest ; *puceron* haud recte ab nostro « puce » ortum ; per similitudinem aliorum vocab. « forgeron, fumeron », etc., informatum est.

Quarteron (quartier, quart) omnino deminut. signif. amisit ; *sablon* (« sable », aut potius lat. « sabulonem » ex « sabulus ») ; *sauvageon* (sauvage).

Taillon (taille), id est quod olim ad vectigal ut supplementum accedebat ; *taillon* (tailler) pennæ pars est quæ cædi potest ; sed olim, præsertim in XVIª ætate, pro nostro hodierno « morceau » fuit ; *taudion* (taudis) rectius sit « taudison » ; in malam partem abit ; *tenaillon* (tenaille) ; *tendron* (tendre) ; *torchon* (torcher) nihil omnino deminut. servavit ; *tortillon* (tortiller) significat aut capitis tegumentum apud quasdam plebeculæ feminas adhibitum ; aut servulam, in pejus mutato sensu ; sed præcipue, in recentiore lingua, linteolum quoddam in orbem volutum ; *toupillon* (toup + ill ; cf. « toupet ») ; *tourbillon* (lat. « turbo- » turbinis + ill ») forma tantum deminut. est ; *tourillon* (tour + ill ; cf. « tourelle ») ; *trognon*, si sensum respicis, videtur, ut Diez conjecit, cum nostro « tronçon » congruere; sed difficile intelligitur quo modo « c » ciderit ; « tro-

gnon » non tantum ad mutas res, sed ad puellas infantes blandimenti specie pertinet ; *tronçon* (lat. « truncus », frgall. « tronc », velut ex latino quodam « truncionem », ut existimare est ex altera quoque usitata forma « tronchon » ; *troupillon* (troupe + ill) ; *vallon* (val) ; *vermillon* pro « vermeillon » (vermeil) ; *veston* (veste) ; *violon* (viole = lat. « vitula » ex « vitulari, vitulus ») jam non ullo modo deminutivum.

Suffixa « on » incidit quoque in propria feminarum nomina, atque primigenio aliquid addit mox blandi jucundique, mox contemnendi : « Jeanneton, Julion, Louison, Ma- » rion, Margoton, Michon, Ninon, » etc.

10) LAT. IOLUS (EOLUS), OLUS (frgall. EUL, EUIL, OL, OLE). — Quanquam apud francogallica nomina ab suff. lat. « e- » ŏlus, i-ŏlus, e-ŏla, i-ŏla » orta deminutiva significatio parum permansit, dignæ tamen suffixæ nostræ « eul, euil, ol, » ole » sunt quibus studeatur : nam quædam ex ejus modi vocabulis, præcipue quæ magis cum latina forma congruunt, plane deminutiva sunt, adeoque inter se cohærent omnes eæ suffixæ, ut sine injuria disjungi non possint.

Duæ sunt latinæ formæ ad quas nostra in « eul, euil, ol » desinentia nomina pertinent, « iŏlus » (eŏlus) scilicet atque « ŏlus ».

α). Cum « suffixa » íŏlus conjungenda est « éŏlus », nam argumento sunt epigrammata in locum suffixæ « eolus » post eversum imperium romanum successisse « iolus », ut in quibus « capriolus », exempli gratia, pro « capreolus » inveniatur : cf. apud Gloses de Cassel : « linciolo » pro « linteolo ; iolus » autem circa VII^am^ ætatem post Christum natum ita mutata est, ut jam non « ĭŏlus », sed potius « īolus » sonaret, quasi in diphthongum esset conversa ; « īolus » tamen non permansit : nempe ab VII^a^ ætate pro « īolus » fit « ĭŏlus » (1), qua in suffixa vocalis « ŏ » rectissime ex ordine solito edidit : « uo » in X^a^ ætate (buona = lat.

(1) Ubi in ŏ breve tonus transiit : iólus.

« bona » apud carmen « de Sancta Eulalia ») ; « ue, oe » in XI^a^, XII^a^ atque XIII^a^ ætate (buen, cuer, coer, lincuel = lat. « bŏnus, cŏr, linciŏlum ») ; ac tandem « eu » ab XIV^a^ ætate.

Nunc etiam apud nos « eu » permansit, profuitque « i » vocalis sonanti syllabæ præposita, quotiescumque incolumis non stetit, ut « l » litteram aut antecedentem consonantem « madefaceret ».

1° « i » antecedentem quamdam consonantem madefacit : tum « iŏlus » (1) fit in nostro sermone « ol, eul » : *épa-gn-eul* (= ispa-ni-olus) ; *fi-ll-eul* (= fi-li-olus) ; *lin-c-eul* (= lin-ti-olus) ; *ti-ll-eul* (= ti-li-olus).

2° « i » incolume « stetit » : tum vero suffixa « ŏlus » facta, ut supra, « ol, eul », fit lat. « iŏlus » in nostro sermone « i-ol, i-eul » : *aïeul* (= aviolus) olim, « aiol, aioel, aious » ; *glaïeul* (= gladiolus).

3° Vocalis « i » finalem litteram « l » madefacit : « ŏlus » fit « euil » (id est « eu (= o » lat. + « l » madida, quæ sæpe per « il » notatur) : *bouvreuil* (= bovariolus) ; *chevreuil* (= capriolus), olim « chevrieus, chevreul » ; *écureuil* (= scuriolus) ; *reseuil* (= retiolum) olim pro nostro « réseau ».

Adeo deminutus est sonus « l » consonantis in suffixa « eul, euil », ut apud nonnulla nomina vix hodie percipiatur, ut jure Littré apud vocabula « épagneul, glaïeul » ostendit. Nunc etiam plurale genus nostri « aïeul » fit « aïeux » ; minime sonat « l » apud « filleul », atque in vulgari sermone quidam « bouvreux » pro « bouvreuil » scribere solent.

Existimandum est circiter XIV^am^ aut XV^am^ ætatem solitam fuisse madefieri « l » litteram ; sed ex eo tempore paulatim evanuit madidus ille sonus : ut enim aliud exemplum proferamus, quidam hodie « linceuil »

---

(1) ŏ tono resonat : iólus.

enuntiare solent; sed omnes scribunt « linceul », multique nomen hoc pronuntiant velut si « l » madida non sit.

Discrimen servandum est inter suffixam « eul, euil » atque finalem syllabam « ueil », quæ, quum idem sonet, ad diversos fontes pertinet : *cercueil* (= sarcophagus); *orgueil* (= germ. « orgel »); *œil* (= lat. « oculus »), etc.; *treuil* congruit cum lat. « torculum », ex « torquere », quod per haud raram conversionem factum est « troculum ». Amisit, ut superiora vocabula, deminutivam significationem.

β). LAT. ŎLUS (frgall. OL), OLA (frgall. OLE). — Apud quæ nomina in « eul, euil » desinentia supra enumeravimus, prima et antiquissima forma fuit « ol » : sic *espaignol* in XIV[a] ætate pro nostro « épagneul »; *aiol* pro « aïeul »; *glaiol* in XV[a] ætate pro « glaïeul », atque imprimis « fillol » pro « filleul » (1). Sed et alias formas invenire est : *escurel*, *escuriaus* pro hodierno « écureuil »; *glagel* pro « glaïeul ». Quid inde sequitur, nisi ut manifestum sit diutissime dubios fuisse majores nostros quanam ratione forma ea ab lat. « ólus, iólus » orta inscribenda esset? Quare effici potuit ut quidam in locum rectæ « ol, uel, oel, eul, euil » suffixam « el » adducerent, quasi de suffixa lat. « ellus » ageretur. Jure præterea dictum est litteræ « l » inesse quamdam vim qua præpositæ vocales facilius in statu suo permaneant : unde « espaignol, glaiol, fillol ».

Sunt et alia nomina in « ol » desinentia quæ, quum ad lat suff. « olus » pertinerent, varias tamen formas olim accepere. Omitto equidem *espagnol* (= hispaniolus); *vitriol* (= vitriolum) : non quidquam habent deminutivi, recentioraque esse videntur, nam haud multo ante XVI[am] ætatem edita sunt; sed *loriot* (provinc. « auriol », hispan. « oriol » = lat. « aureolus, auriolus ») non tantum « l »

(1) Cf. Littre, apud vocab. filleul.

litteram ut jam nostrum « lierre » immerito admisit, sed falso in suffixam « ot » translatum est; recta igitur forma « auriol, oriol » esset. In veteri sermone nostro mox « euriels », mox « oriox » aut « oriou », mox « leurieul » fit (1).

Haud minus incerto inscriptum est *rossignol* (provinc. « rossinhol », hispan. « ruiseñor », ital. « rusignolo » = lat. « lusciniolus »). Apud majores nostros legere fuit jam « lousseignolz, roussignos », jam « rosignor », jamque etiam « rosseignot » cum suff. « ot »; nec non « rossignaus » exstitit, quasi nomen hoc ad suff. « ellus » pertineret. In ceteris formis semper quidem « o » permansit (2).

Flajol vet. ortum est ab lat. « flautiolus », deminutivo latini « flautus », quod cum « flatus » congruit : « flautare » pro « flatuare »; unde nostrum « flaüter, flûter : Ces pastoriox vit lor flajox sonner », Raoul de Cambrai, 242.

Ad suffixam frgall. « ol » non accedunt *dol* (= lat. « dolus »), *sol* (= solum).

Ut summam breviter contrahamus, vere francogallica est masculina suffixa « ol », nam antiqua sunt pleraque illa nomina atque cum latinis exemplaribus congruunt. Ecce vero accedunt alia et numerosa vocabula in quibus « o » ab initio usque ad nostram ætatem permansit, dico feminina nomina in « ole » desinentia. Quum eorum plurima recentius in sermonen nostrum alia ex alio fonte illata sint, necesse forsan erit singulis ante studere quam summum de suffixa « ole » judicium adhibeatur.

Aréole (lat. « areola »); *auréole* (lat. « aureola ») : ambo sunt ab doctis viris immissa; sic *astériole* (lat. « aste-

---

(1) Cf. Vocab. Loriot, apud Littré.

(2) Cf. Littré, Gloss., atque Rothenberg, p. 63.

riola »); *babiole* (ex primig. « bab » quod apud ital. « babbole », anglican. « babby = puer » reperitur; haud temere credas « babiole » nostrum ex ital. sermone fuisse assumptum); *banderole* (gall. « bande, bandière »), olim quoque in XV^a^ ætate « banerolle »; *bestiole* (ital. « bestiola » = lat. « bestiola »); *boussole* (ital. « bossolo », deminutivum nominis « bosso » : proprie igitur « boussole » est « petite boîte »); *bouterolle* pro « bouterole » ex nostro « bouter »; jam non deminutivum est; *bricole* (ital. « bricola »); *cabriole* (ital. « capriola », ex lat. « capreola »).

Camisole, proprie « petite chemise » (ex hispan. « camisola »); *carriole* (ex provinc. « carriola » : cf. hispan. « carriola », ital. « carrinola »; *carmagnole* (ital. « Carmagnola », urbs. italica) minime deminutivum est ac prope in malam partem abit; *casserole* (ex frgall. « casse », per imitationem ceterorum « banderolle, bouterolle », etc); *chantignole* : suspicatur Littré nomen hoc ab nostro « champ » (ital. et hispan. « canto ») pro « chant » inscriptum; rectius forsan ad italic. originem confugias; *coupole* (ital. « cupola »); *croquignolle* (ex nostro « croquer »); *dariole* (?); *étole* (lat. « stola ») jam in XII^a^ ætate « estole »; vocabulum hoc conjicio ab clericis hominibus per rectam latini similitudinem esse informatum, ut tam multa alia, quæ ad religionem spectant et a vere francogallica forma abhorrent; non deminut. est « étole »; *étudiole* (étude).

Faribole (?); *féverole* (fève); *fiole* (provinc. « fiola », lat. « phiala »); jam in XIII^a^ ætate reperitur « phiole » neque ad suffixam nostram « ole » pertinet, utpote ab lat. « phiala » antiquitus « phiaula » facto ortum : unde apud nos « phiole, fiole », ut « or » ex lat. « aurum »; *foliole* (lat. « foliola, foliolum ») doctorum opera informatum; *flammerole* (flamme + er); *frivole* adj. nomen cum lat. « frivolus » congruit, et omni tempore inscriptum est « frivole », ut rarissimis iis vocabulis sit annumerandum

quæ « o » latinum intactum servarunt; minime alioquin deminutivum est et in malam partem, ut primigenium lat., abit. Effici non potuit ut olim in sermone nostro ex lat. « frívolus » evaderet « frivole », rariusque tonus locum suum mutavit quam ut ad lat. quoddam « frivólus » confugiamus; existimandum igitur est nomen hoc doctorum opera invaluisse; *fumerolle* (= lat. « fumariolum ») dictum quoque « fumarolle » pro « fumerole » est; sic *furolles*, quod Littré cum nostro « feu » merito confert; rectius sit « furoles ». Neque « fumerolle » neque « furolles » deminut. est; *fusarolle, fuserolle* (frgall. « fuseau », nisi mavis ad ital. fontem confugere) pro « fusarole, fuserole ».

Girandole (ital. « girandola; cf. nostrum « girande » ex lat. « gyrare »; ab deminut. signific. abest; *gloriole* (lat. « gloriola ») nostro sermoni ab scriptore « abbé de Saint-Pierre » illatum est; *gaudriole* pro « gaudiole » (ex vet. nostro « gaudir » = lat. « gaudere »); *gondole* (ital. « gondola ») non deminut.; sic *grolle* olim « grole » (= lat. « gracula, quod « c » cadente, « graüla, graula, graule, grole » factum est : non igitur ad suffixam nostram « ole » pertinet); *herniole* (lat. « herniola ») a doctis informatum; *idole* (lat. « idōlum », græc. εἴδωλον) integram lat. primigenii imaginem præbet; prius tamen exstitit alterum nomen « idle, ydle » quod rectissime cum latino « ídolum » græcoque εἴδωλον congruit; « ydle» igitur vere vulgaris forma haberi potest; « idole » ad doctum fontem, ut « frivole », accedit; sic *laureole* (lat. « laureola) »: sic et, *malévole, bénévole* (adj. nomina ab. lat. « malevolus, benevolus » orta). « Bénévole » jam in XIVª ætate apparet; *luciole* (ital. « luciola » ex lat. « lux »).

Neque *malléole* (lat. « malleolus »), neque *monopole* (lat. « monopolium ») deminut. sunt: ab doctis quoque sunt edita; *moucherolle* (mouche + er) pro « moucherole »; *muserolle* pro « muserole » (ex primig. quodam « mus »

(+ er), quod apud nostrum « museau » invenias; *obole* (lat. « obolus ») jam in XIII[a] ætate, ut « idole », viget; nihilominus tamen ad doctam originem accedit; minime deminut. est; sic *parole* (lat. « parabola, paraula»), quod ad suff. nostram « ole » immerito referas; idem dicas de *pétrole* (lat. « petroleus = petra + oleum »); doctorum opera quoque informatum est: *pistole* (ital. aut hispan. « pistola »).

Rabiole (frgall. « rave », lat. « rapum, rapa) semidoctum haberi potest; *régnicole* (lat. « regnicola », ut cetera nomina in « cole » = lat. « cola » desinentia, ab doctis viris informatum est; *rigole* (lat. « rigola », ex « riguus, rigare », ut « variola » ex « varius »); *rougeole* (rouge) olim quoque falso « rougeolle »; *symbole* (lat. « symbolum) ab clericis importatum minime deminut est; *taillerole, taillerolle* (tailler).

Variole, vérole ab eodem primig. orta sunt, sed neutrum deminut. signific. servavit. Antiquius quidem « vérole », olim « vairole »; apud vărius « a », cui tonus aderat, cum « i » sequente in unam syllabam permixtum est (cf. « vair = lat. « vărium »); inde informata est diphthongus « ai », quæ postea in è, ut sæpe fit, conversa est; « Variole » per doctos recentius inductum est. « Vérole », ut plura nomina in « ole » desinentia, interdum olim inscriptum erat « verolle » : « autres auront la petite » verolle ou la rougeolle », Paré, XIX, 3 (apud Littré); *viole* (provinc., ital., hispan. « viola »); *virole* (lat. « viriola ») antiquum est, sed, ut nostra nomina in « ol » exeuntia, per incertas et diversas formas jactatum est : mox « virol », mox « virole », mox etiam « vireulle, virœulle » (1).

Haud inconsulto plurima exempla attulimus, vel quæ plus minusve ab suff. lat. « eolus, iolus » atque ab demi-

---

(1) Cf. exempla apud Littré.

nut. signif. absunt : necesse enim fuit monstrare quam pauca nomina in « ole » desinentia ab initio sermonis nostri in usum venerint. Scilicet superiorem illam seriem tibi respicienti, hæc quidem ab antiqua origine ducta videntur : « étole, fiole, frivole, idole, bénévole, obole, vérole, virole » quorum nonnulla, ne pleraque dicam, aut ab doctis hominibus in sermonem nostrum illata sunt, aut ad suff. « ŏlus » (ut « fiole », etc.) parum pertinent. Ut vero vocabula quædam « vérole, virole », obscuris adhuc de causis, « ŏ » latinum servarint, quid est cur credamus per eorum imitationem effluxisse cetera nomina in « ole » exeuntia ? Jam compertum habemus fieri potuisse ut apud pauciora vocabula, adjuvante tutela « l » consonantis, ŏ permaneret : inde, contrahendi causa, « espaignol (épagneul), » glaïol (glaïeul), fillol (filleul), espagnol, vitriol, oriol » (oriox, loriot), rossignol », et quæ paulo supra enumerata sunt. Quod si per similitudinem illorum cetera fuissent informata, jam nova, dico præcipue deminutiva nomina ad suffixam « ole » pertinentia, id est « aréole, ban- » derole, babiole, bestiole, boussole, bricole, cabriole, car- » riole, casserole, coupole, croquignolle, étudiole, féverolle, » foliole, flammerole, fusarolle, gloriole, gondole, lauréole, » moucherolle, pistole, rigole, rougeole, taillerole, viole » videas ab XII[a] ætate usque ad nostrum tempus orientia; res vero adeo aliter se habet, ut contra pleraque nomina non ante XVI[am] ætatem, rarissima vel in XV[a] ætate, se ostendant. Quum præterea miro quodam modo cum italicis aut nonnunquam hispanicis provincialibusque vocabulis congruant, ac prætera eo tempore ex usu fuerint quo majores nostri inter tot ac tam cruentas expeditiones in Italia morati linguæ moribusque Italorum indulgerent, quid est cur ad aliam nostrum vocabulorum originem confugiamus ?

Edidit suff. latina « olus » apud nos « eul, apud Italos « uolo, olo », apud Provinciales « ol » ; quæ apud nos

« ol » servaverunt, ea ab consuetudine et lege discedunt; feminina vero ac deminutiva nomina in « ole » desinentia, quanquam ab suff. lat. « ole » non abhorrentia, plerumque ad italicam originem accedunt; quædam eorum imagine ab doctis viris composita sunt.

11) LAT. ULUS, ULA, ULUM (frgall. ULE). — Cum lat. suff. « ŭlus, ŭla, ŭlum » recte, sed doctorum opera, congruit nostra « ule ». Supra jam dictum est cur lat. « ulus », quum tono careret, multo minus apud nos quam apud Romanos deminutivorum nominum ferax fuerit: « u » enim vocali post sonantem syllabam cadente, plurima vocabula adeo deformata sunt ut vel apud Romanos deminutiva significatio evanesceret : sic « pop (u) lus, cing (u) lum, tab (u) la, teg (u) la, sit (u) la, etc. » in nostro sermone ediderunt « peuple, sangle, table, tuile, seille, etc.» quibus nihil diminutivi servatum est. Ea igitur fuit suffixæ « ŭlus, ŭla, ŭlum » conditio, ut omnino sterilis apud nos fore videretur. Sed postea quum jam popularis vocabulorum informatio peracta esset et docti rursus viri multa nomina excogitarent ab latinis exemplaribus parum detorta, renasci visa est suffixa ŭlus, cui tunc tonus affuit, ab ante pænultima in pænultimam syllabam transiens : unde toni rationem apud nos vigentem imitando : « conciliabú-» lum, globúlum, plantúla », etc., pro « conciliábulum, » glóbulum, plántula, etc.; atque numerosa vocabulorum series orta est, apud quæ primigenii deminutiva significatio permansit.

Utroque genere suffixa nostra « ule » est.

Masculina sunt : *capitule* (capitulum); *conciliabule* (conciliabulum); *globule* (globulus); *granule* (granulum); *lobule* (lobe); *lorule* (lorulum, lorum); *nervule* (nervulus); *ovule* (ovulum), etc.

Feminina sunt : *Canule* (cannula); *capsule* (capsula); *cédule* (cedula); *cellule* (cellula); *coronule* (coronula); *fécule* (fœcula); *formule* (formula); *glandule* (glandula); *lunule*

(lunula); *morule* (morula, mora), nunc exoletum; *ombellule* (umbellula, umbra); *pilule* (pilula); *plantule* (plantula); *plumule* (plumula); *pennule* (pennula); *pustule* (pustula); *ramule* (ramula); *ranule* (ranula): *rotule* (rotula); *virgule* (virgula) : evanuit apud hoc nomen deminutiva signific.; etc.

Pendule (pendulus, pendula) masc. et femin. deminut. signific. quoque amisit.

Suffixa nostra « cule » (masc. et femin. = lat. « culus, cula, culum ») plurima nomina edidit; servata est post consonantes et vocalem « i », rarius post « e » (lat. « i, e ») in latinis vocabulis (1).

Inter masculina numerantur : *animalcule* (animalculus); *conventicule* (conventiculum); *corpuscule* (corpusculum); *follicule* (folliculum); *fascicule* (fasciculus); *indicule* (indiculus, index); *monticule* (monticulus); *opercule* (operculus); *opuscule* (opusculum); *ossicule* (ossiculum); *ramuscule* (ramusculus); *pédicule* (pediculus); *réticule* (reticulum); *tubercule* (tuberculum); *versicules* (versiculos); *vorticule* (vorticulus); *umbracule* (umbraculum), etc.

Feminina sunt : *auricule* (auricula); *canicule* (canicula); *cornicule* (cornicula); *cuticule* (cutis); *caruncule* (caruncula ex lat. « caro »); *clavicule* (clavicula); *lenticule* (lenticula); *molécule* (molecula); *navicule* (navicula); *particule* (particula); *portioncule* (portiuncula); *pellicule* (pellicula); *ramuncule* (« ramuncula », haud recte pro « ramusculus »); *renoncule* (renoncula); *radicule* (radix); *silicule* (silex); *vésicule* (vesicula), etc.

12). LAT. BUNDUS (frgall. BOND). — Ab doctis quoque viris nuper illata sunt adjectiva nomina in « bond » (= lat. « bundus ») desinentia, ut *furibond* (furibundus), *pudibond* (pudibondus), *moribond* (moribundus), *nauséa-*

(1) Cf. Mætzner, Grammatik, 2e édit.

bond (nauseabundus), *vagabond* (vagabundus). Plus minusve in malam partem abeunt et recte latinorum vocabulorum exemplo informata sunt; Littré tamen *floribond* (supplément) affert, quod cum nullo latino nomine congruit.

13). LAT. ISSIMUS (frgall. ISSIME). — Vix opus est animadvertere suffixam nostram « issime » doctorum opera per rectam latini sermonis similitudinem apud nos invaluisse; perpauca ceterum edidit nomina : *doctissime* (doctissimus), *grandissime* (grandissimus), *illustrissime* (illustrissimus), *richissime* (riche), etc. Quæ omnia, ut fert origo, intentiva sunt.

14). LAT. ERÍA (ÉRIA) — (frgall. ERIE). — Desierunt quidem informari declinata nomina in « ie » exeuntia (= « ī a » (1) pro « ĭ a » latino); sed eadem illa suffixa « ie » per mediam « er » vim novam ac miram rursus accepit, atque nomina nuper protulit etiamque nunc profert quibus multiplex inest significatio.

Quædam in malam partem abeunt : *ânerie* (âne); *bigoterie* (bigot); *canaillerie* (canaille); *chiennerie* (chien); *étourderie* (étourdi); *drôlerie* (drôle); *flânerie* (flâner); *gâterie* (gâter); *poltronnerie* (poltron); *pruderie* (prude); *rouerie* (rouer); *singerie* (singe), etc.

Alia collectiva sunt : *argenterie* (argent); *bijouterie* (bijoutier); *boulangerie* (boulanger); *boiserie* (bois, boiser); *cavalerie* (cavalier); *bonneterie* (bonnetier); *bimbeloterie* (bimbelot); *huilerie* (huilier); *infanterie* (ital. « infanteria »); *laiterie* (lait, laitier); *orfévrerie* (orfèvre); *verrerie* (verre, verrier); *verroterie* (« verre + ot », quasi ex « verrotier »); etc.

Multa neque in malam partem abeunt neque intentiva, aut collectiva haberi possunt : *badinerie* (badiner); *tricherie* (tricher); *causerie* (causer), etc.

---

(1) In quo ī tono sonat.

15). LAT. OSUS pro ATOR, ATOREM (frgall. EUX). — Omittenda non videtur recens suffixa nostra « eux », cujus forma tantum cum lat. suff. « osus » (frgall. « eux, euse) congruit : nam ad suffixam « eur » (lat. « or-orem » respondet. Scilicet quum apud plebem sæpius « r » in finali syllaba « eur » vix enuntiari soleat, inde factum est ut « eur » veluti « eu » pronuntiaretur et paulatim ab suffixa nostra « eux, euse » (= lat. « osus ») non disjingeretur. Dissimillima vero ea suffixa est alterius suffixæ « eux » (= osus), nam apud perpauca nomina quibus accessit, in pessimam partem abit : pro « partageur » dictum est *partageux ;* pro « communard », *communeux :* quorum per imitationem etiam creata sunt : *bonaparteux* pro « bonapartiste » atque *gommeux* (gommer). Omnino populares eæ voces (1).

16). LAT. UTUS (frgall. U). — Ex suffixa latina « utus » quæ, apud Romanos prope ignota, paulatim apud Galloromanos in plurima verba inciderat præstiteratque ut præcipue participia informarentur, orta est in veteri nostro sermone suffixa « u » adjectivorum fons, quibus corporis partes quædam significabantur in majus productæ et in malam partem leviter abeuntes. Sic *barbu* (barbe); *charnu* (carnem); *chevelu* (chevel, cheveu); *corsu* hodie « corsé » « corps », olim « cors »); *épaulu* (épaule); *goulu* (gula); *fessu* (fesse); *joufflu* (« joue »; sed unde ortum sit « ff » nemo adhuc explanare potuit; *lippu* (frgall. « lippe » = german. « lippe »); *membru* (membre); *ossu* (os); *pansu* (panse); *poilu* (poil); *moustachu* (moustache); *pattu* (patte); *trapu* (?); *têtu* (tête); *velu* (lat. « villus »); *ventru* (ventre), etc.

Quædam ex illis nominibus in recentiori sermone non permanserunt, ut « corsu, épaulu, griffu, ossu », sed alia

(1) Vide, A. Darmesteter, *Création actuelle des mots nouveaux*, p. 104-105.

quoque seu ad homines seu ad mutas res pertinentia jamdudum percrebuere ; nunc etiam vigent ac plerumque in malam partem plus minusve abeunt ; quorum præcipua subjacent : *branchu* (branche); *bourru* (bourrer, bourre); *bossu* (bosse) ; *cornu* (corne) ; *biscornu* (bis + cornu) ; *chenu* (canutus », ex « canus ») ; *crépu* (crêpe) ; *dissolu* (lat. « dissolutus ») non declinatum francogallicum nomen est ; *dodu* (?) ; *fichu* adj. ortum esse videtur ex verbo nostro « ficher », quod cum « figicare » quodam, ex lat. « figere », congruit ; substant. nomen « fichu » eodem fonte est, sed minime in malam partem abit ; *fourchu* (fourche) ; *féru* (férir) ; *grenu* (granatus, granum) intentivum tantummodo est ; sic *herbu* (herbe) ; *hurluberlu* (?) ; *pointu* (pointe) non tantum pro « acutus » est, sed et in quosdam coutumeliose incidit ; *recru*, id est in nostro sermone « las » (ex vet. verbo nostro « recroire ») ; *saugrenu* (proprie « au gros sel : sel + grenu ») ; *touffu* (touffe) ; *trotte-menu*, id est « trotte-petit » (trotte + menu = lat. « minutus »).

Ad suffixam nostram « u » (= lat. « utus ») non pertinent : *ardu* (lat. « arduus ») ; *ambigu* (lat. « ambiguus ») ; *congru* (= lat. « congruus ») ; *contigu* (= lat. « contiguus ») ; *courbatu* (court + battu) ; *fourbu* (participium francogallici « forboire ») ; *fêtu* (« festucus », masculina forma lat. « festuca ») ; *incongru* (lat. « incongruus ») ; *ingénu* (lat. « ingenuus ») ; *lustucru* (l'eusses-tu cru ?) ; *malotru* mixtum ex veteri frgall. « malestrut » (id est « male » structus, instructus ») atque ex provinc. « malastrug » (= malum + astrum).

17) LAT. ATUS, ATA, ital. ATA, ADO (frgall. AT, ADE). — Suffixæ nostræ « at, ade », plerumque collectivæ, nonnunquam in pejus primigenii significationem trahentes, haud recte ex latino in nostrum sermonem transierunt. Recentes quidem sunt : nam si nomina inde orta respicis, manifestum statim tibi fit pleraque ab XVI[a] ætate tantum

in majorum nostrorum consuetudinem venisse, id est quo tempore Galli, patria in libertatem vindicata, temere erumpebant præcipueque in Italiam impetum faciebant. Quæ igitur latina suffixa « atus, ata » olim recte in sermone nostro « é, ée » ediderat, eadem illa, auctore Italorum aut saltem externorum more, rursus masculinam « at », femininam « ade » prompsit. Quantum « at, ade » ab populari nostra dicendi ratione abhorreant, statim intelligis : etenim ab initio XII[ae] ætatis media « t » littera, apud suffixam lat. « ata », postquam in « d » decreverat, cecidit ; in italico contra vel hispanico vel provinciali sermone perduravit « t » aut « d », ut ex « atus » fieret « ato, ado » (ital.), « ado » (hispan.), « at » (provinc.). Ergo multiplex esse potest nostrorum vocabularum ad suffixas « at, » ade » pertinentium origo, neque est quod omittas quædam ab civibus nostris ad priorum exemplum informata aut etiam antiquitus ab doctis litteratisque hominibus ex latino in francogallicum sermonem ferme sine ulla mutatione importata : quod quatenus effectum sit inquisituri sumus.

Unde autem originem ceperunt nisi ab provinciali sermone sequentia hæc nomina, quibus nonnihil adest collectivæ significationis? *Comtat* (lat. « comitatus ») ; *marquisat* (ex nostro « marquis », olim « marchis » + suffixa « at » (?)

Feracior forsan apud nos fuit ital. lingua : *cedrat* (cedrato) ; *cervelas* (cervellata) ; *ducat* (ducato) ; *incarnat* (incarnato).

Sed postea multo plura edita sunt quæ sola specie doctam originem declarant, moxque tamen in vulgarem sermonem transierunt : *assignat* (lat. assignatum) ; *agnat* (agnatus) ; *apostat* jam in XIII[a] ætate « apostate » apud J. de Meung ; cf. græcum ἀποστάτης, ex quo sine dubio, sed forsan per lat. quoddam « apostatus », nostrum « apostat » exiit ; *apostolat* (apostolatus); *épiscopat* non tantum dignitas

sed et universum collegium episcoporum est ; omnino recens nomen est atque ab latino « episcopatum » informatum, quod olim recte « eveschié », deinde « évêché » ediderat ; *factorat* (ex lat. « factorem », apud nos « facteur »); *maréchalat* (maréchal) ; *patriciat* (patricius) ; *personat* (personatus) ; *potentat* (potentatus, ex « potens ») ; *résultat* (« résultatus » ; cf. nostrum « résulter ») ; *pensionnat* (pension) ; *majordomat* (majordome) ; *patriciarcat* (patriarche) olim « patriciarchat » ; *rectorat* (rectorem, recteur) ; *septennat* (septennis, septem) ; etc.

Jure animadvertas recentiora hæc nomina non esse collectiva, sed magis provinciam et dignitatem ab primigenio susceptam animo injicere. Ditissimus quidem fons noster « at », sed feracior « ade » : his enim vocabulis quæ ab externis gentibus assumpta sunt accedunt et numerosiora ab nostris hominibus intromissa : quorum numerus in dies major fit.

Ab italis adscita : *bambochade* (bambocciata) ; *barricade* (barricata) ; *bastonnade* (bastonnata) ; *brigade* (brigata) ; *cacade* (cacata) ; *cascade* (cascata) ; *cassade* (cacciata) ; *cavalcade* (cavalcata) ; *croisade* (crociata) ; *escapade* (scappata); *estacade* (steccata) ; *estafilade* (stafilata) ; *estrade* (strada) ; *estrapade* (strappata) ; *gambade* (gambata) ; *mascarade* (mascherata) ; *pommade* (pommata) ; *pasquinade* (pasquinata) ; *salade,* id est « acetaria » (salata) ; *salade,* id est « galea » (celata, cassis = apud nos « casque ciselé ») ; *sérénade* (serenata).

De hispanica lingua multa quoque assumpta : *algarade* (algarada) ; *camarade* (camarada) ; *capitolade* (capirotada), olim « cabirotade » apud Rabelais, et « capirotade » apud Montaigne ; *grenade* (forsan ex provinciali « granada ») ; *incartade* (encartada) ; *marmelade* (marmelada) ; *parade* (parada) ; *vertugade* (vertugado , ex « viridis »).

Ad francogallicam doctamque originem pertinent : *an-*

guillade (anguille) ; *arcade* (arc) ; *arlequinade* (arlequin) ; *aubade* (aube) ; *ballotade* (balloter) ; *bourrade* (bourrer) ; *bousculade* (bousculer) ; *bravade* (braver) ; *capucinade* (capucin) in pessimam partem abit ; *claquade* (claquer) ; *colonnade* (colonne) ; *cotonnade* (coton) ; *coutillade* minusque recte *coustillade* (coutel, couteau) ; *croustade* (« croûte », olim « crouste ») ; *débandade* (débander) ; *dragonnade* (dragon) ; *enfilade* (enfiler) ; *engueulade* (engueuler) ; *embrassade* (embrasser) ; *enjambade* (enjamber) ; *fusillade* (fusiller) ; *gaulade* (gauler) ; *glissade* (glisser) ; *gasconnade* (gascon) ; *griffade* (griffer) ; *gourmade* (gourmer) ; *grillade* (griller) : *guillotinade* (guillotiner) ; *mitraillade* (mitraille); *mousquetade* (mousquet) ; *œillade* (œil) ; *pochade* (pocher) ; *palissade* (palisser, ex « palis = palitius », ex « palus »); *pantalonnade* (pantalon) ; *pétarade* (péter) ; *peuplade* (peuple) ; *poivrade* (poivrer) ; *rasade* (raser) ; *régalade* (régaler); *reculade* (reculer) ; *rebuffade* (rebuffer) ; *rigolade* (rigoler) ; *roulade* (rouler) ; *saccade* (vet. frgall. « saquer ») ; *sifflade* (siffler) ; *souffletade* (souffleter) ; *taillade* (tailler) ; *tartouillade* (tartouiller) ; *tirade* (tirer) ; *toquade* (toqué) ; *turlupinade* (turlupin).

Inter hæc nomina quædam plus minusve in malam partem abeunt : « algarade, anguillade, bravade, capucinade, » coutillade, engueulade, gasconnade, œillade, pantalon- » nade, pétarade, rebuffade, pasquinade, pochade, rigo- » lade, reculade, soufflletade, toquade, turlupinade » ; nihil contemmendi vocabulis « arcade, glissade, régalade, poi- » vrade » ; collectiva « grillade, fusillade, mousquetade, » palissade, poivrade, cotonnade, colonnade » ; non caret deminut. signif. « peuplade ».

Inter cetera quæ supra enumeravimus, « bambochade, » cassade, escapade, incartade » in pejorem partem rapiuntur.

Non accedit *myriade* ad suffixam nostram « ade » : nihil aliud est quam græcum μυριάς-μυριάδος. acc, μυριάδα.

19) GERMAN. HART frgall. ARD, fémin. ARDE. — « Ard », cujus feminina forma est « arde », originem ducit ab adject. nomine « hart », quo Germani olim in hominibus appellandis sæpius utebantur : « Deganhart, Eburhart, Meginhart, Reginhart, Rheinhart, Perinhart », etc. (1). Deinde mutis etiam rebus eadem illa suffixa ita aptata est, ut in pejus plerumque significatio abiret. Apud nos quoque eodem modo plurima hominum nomina notata sunt, neque dubitari potest quin pejor quidam sensus eis primum adjiceretur; is tamen non servatus est, nam neque « Abeilard, Agard, Allard, Aymard, Bayard, Bernard, Béjard, Brochard, Chevillard, Crochard, Giffard, Maillard, Pérard, Rochechouart, Ronsard », neque tam multa alia quæ enumerare queamus, quidquam malæ suspicionis animo injiciunt. « Ard » quidem inscribi solet nostra suffixa, sed et nonnunquam, pro origine, « art ». Promiscuis nominibus supposita, seu ad homines et quæcumque vivunt animalia, seu ad res mutas pertinet, atque ad substantiva aut verbalia primigenia accedit.

α). Quæ in homines animaliave cadunt nomina, nominibus in « eur » desinentibus ea non multum dissimilia sunt, mox substantiva, mox adjectiva, sed aliquantum vituperationis aut contemptionis secum afferunt : *babillard* (babiller), olim quoque in plurali numero « babillars » inscriptum, ut nuper etiam pleraque nomina in « ant, ent » desinentia : « dens (dents), commencemens (commencements), charmans (charmants) », etc.; *badouillard* (badaud ?); *braillard* (brailler) vox popularis pessimæ significationis, ut quæ duas suffixas « aille + ard » in malam partem abeuntes præbeat; *bâtard* (frgall. « bât », ex lat. « bastum »), olim « bastard »; *bavard* (bave, baver); *beccard* aut interdum *bécard* (bec) intentivum est, nam pisces signi-

(1) Diez, *Gramm des lang. rom.*, trad. franç., II. p. 355.

ficat qui ultra solitum modum creverunt ; *béquillard* (béquille) ; *broquart* (broque) quasi deminutivum habetur : feram enim unum modo annum natum significat ; *busard* (buse), nihil aliud quam avis nomen est, nec quidquam fastidiosi secum affert.

Cafard contra, cujus origo obscura est, quanquam cum vocabulo « caphardum » apud du Cange commemorato congruit, pessimi sensus est : in hominem cadit non tantum scrupulosæ religioni deditum, sed etiam jactantiæ ostentationique quodammodo indulgentem ; *cagnard* (cagne) subst. adjectivumque nomen in malam partem abit ; *camisard* (provinc. « camisa ») ; *canard* sæpius adject. (ex eodem primigenio quo « camus ») ; *campagnard* (campagne) ; *capitulard* (capituler) recens est et maximam affert contemptionem ; *cabochard* (caboche), vox omnino vulgaris, pertinet ad hominem cui amplissimum inest caput, deinde vero ac præsertim ad eum quicumque propositi tenaciorem atque obstinatiorem æquo se præstat ; *chevillard* (cheville) ; *chevrillard* (chèvre + ill) vere deminutivum dicas ; *chicard* (chic) ; *cognard* (cogne, cogner) ; *communard* (commune) ; *coquard* (coq) ; *cornard* (corne) ; *criard* (crier) ; *couard* olim « cuart » (vet. frgall. « coue » = lat. « cauda ») ; *cumulard* (cumuler).

Décembraillard (décembre + aille) ; *égrillard* (?) ; *frétillard* adject. (frétiller) ; *frocard* (froc) ; *fusionnard* (fusion, fusionner) ; *gaillard* sæpe nunc in malam partem abit ; olim vero in hominem incidebat animo fortem et audacem ; quare non potest ad nostrum adject. « gai » referri : qui enim intelligas « gaillard = gai + ill + ard » ? Ergo confugiendum est ad primigenium quoddam germanum « gag, gâl (= lætus) », aut potius ad celticum « gall » (cf. Littré). Conjicio tamen propter nostri « gai » memoriam nomen illud « gaillard » in hodiernam significationem transiisse ; *goguenard* (vet. frgall. « gogue », cujus origo obscura est ; cf. « goguettes ») ; cur vero « goguenard », non

« goguard »? Forsan exstitit olim verbum quoddam « goguener » non multum abhorrens ab celtico « goguan »; cf. lotharing. « goguenettes » pro « goguettes »; *grognard* (grogner); *gueulard* (gueuler); *gueusard* (gueux); *huard* (huer).

Hagard, femin. « hagarde », adject. nomen, primitus appositum est substantivo « faucon » : unde « faucon hagard », id est « falco captus, postquam semel atque » iterum plumam amisit », deinde « falco ferox et indomitus », atque tandem hodierna significatio nostri « hagard : yeux hagards = oculi truculenti ac pavidi ; mine hagarde = vesanus vultus ; « hagard » cum primigenio latino « haga » congruit, sed multo recentius in sermone nostro est quam frgall. « haie » = lat. « haga » ; *jobard* (Job) credulus stolidusque homo est ; ab Scheler equidem valde dissentio qui « jobard » nominis originem ab flam. « jobbe » ducit : nam apud populum usque viguit « Job » illius memoria, cujus patientia constantiaque in pejus tandem versa est.

Mouchard (mouche) is homo est qui, quemadmodum musca aures murmure suo contundit, sic alienas res usque ad aures regum aut magistratuum oggannit; *mouflard* (« moufle » pro « mufle ») homo terete vultu præditus ; *montagnard* (montagne), cui nihil inest malæ significationis ; *moutard* contemptionem aliquam secum trahit. Obscura ejus origo neque latina esse videtur ; rarior feminina forma « moutarde » ; *mignard* priore sensu tenue aliquid atque exquisitum significabat ; nunc vero cadit in ambitiosa ornamenta et in malam partem abit ; profectum est ab primigenio « mign », quod apud plura declinata nomina reperitur : « mignon, mignonne » deminutivumque « mignonnette ; mignoter », aut, velut in rusticis quibusdam dialectis, « amignoter » ; cf. quoque in eisdem dialectis pro « mignon » adject. « mignoquet », id est « blandus puer » aut potius « puer quem mulceri juvat » ;

primigenium nostrum « mign » cum germ. « minnia = amor » congruit; *nasard* (lat. « nasus ») in sonos incidit cum mala significatione; *nasillard*, prioris deminutiva forma, eodem sensu usitatum est; *oreillard* (oreille), dictum quoque « orillard ».

Paillard (paille); *panard* (?); *papelard* in eum incidit qui falso se religioni addictum simulat; vulgo versutus est homo, ac sine dubio ortum est ab « papa, pappa » (papa + el + ard); omnino sane diffido nostri Littré opinioni qui, postquam ital. « pappalardo » in memoriam revocavit, partes « pappa + lard » apud nomen hoc invenit; *pendart* (pendre); *penard* : nonne assentiendum est nostro Littré qui « penard » cum veteri « penard » aut « pannart, pennart » = lat. « culter » conjungit? « Vieux penard », id est apud nos « vieux couteau », deinde « effectus senex = vieillard usé »; exstant in pluribus linguis exempla mutarum rerum in homines cum pessimo sensu cadentium: frgall. « peau », lat. « corium », etc.; *pochard* (poche, pocher); *pillard* (piller); *poissard*, femin. *poissarde* (frgall. « poix ») in pessimam partem abit; *poularde* (poule) intentivum est; *poupard* (ex primigenio quodam « poup » quod in lat. « puppa » = frgall. « petite fille » invenias; *richard* (riche); *roublard* (?); *soudrillard* (soudrille); *soulard* (soûler) pessimæ significationis est; sic *traînard* (traîner); *têtard* (tête); *vétillard* (vétille); *vidart* (vider) equus est cujus venter creberrime profluit; *vantard* (vanter); *veinard* (veine); *vieillard* (vieil) nihil ex priore malaque significatione amisit.

Lézard, femin. *lézarde*, olim « leisarde, laisarde » etiamque « lisarde » (cf. Littré) ad lat. « lacertus » aut potius ad femin. « lacerta » respondet, si quidem in veteri lingua femininum esse solet. Sed quoniam « é » ante duas consonantes positum plerumque permanet, atque ex « lacertus, lacerta » nihil aliud recte exire potuit nisi « laiserte, leiserte, liserte », vix « laiserde, leiserde, liserde »,

doctissimi viri, Diez (1), Mussafia (2) et A. Tobler (3) existimaverunt, in locum syllabarum « erta » apud « lacerta » successisse nostram jam usitatam suffixam « ard » (4). Non idem sentire videntur Littré et Brachet : « lacertus » enim, « lacerta » originem valde comprobant neque ad suffixam mutatam confugiunt. Item J. Rothenberg (5) allato hispanici et portug. vocabuli « lagarto » exemplo, animadvertit ex suffixa german « hart » non « lagarto » sed « lagardo » profecturum fuisse, atque præterea profert ital. « lacerta, » lucerta ». Confiteor equidem cum lat. « lacertus, lacerta » congruere ital. « lacerta », hispan. « lagarto », provinc. « lazert, lauzert », neque omnino nostrum « lézard » ceterasque ejusdem nominis formas ab eodem « lacertus » abhorrere ; sed « e » ante duas consonantes positum, si modo tonus adest, adeo recte « e » apud nos edidit, ut mihi in dubium veniat potueritne effici ut « e » in « a » mutaretur. Nonnulla exempla attulit Rothenberg : « lucarne » (= lucerna) ; « effaré » (ferus) ; « farouche » (ferocem) ; « marchant » (mercantem) ; vet. frgall. « mar » (hodie « mer »); « parchemin », « sarvaige, sarvir, sarmoner » pro « servage, servir, sermonner ») quæ nihil in ea re prosunt : atenim apud « effaré, farouche, mar », de « ĕ » cui subest una tantum consonans agitur ; apud « marchant, parchemin, » sarvaige, sarvir, sarmoner » deerat « e » latino tonus. Constat autem multum inter se distare vocales litteras, si tonus aut adsit aut absit. Argumentum vero firmius ad probandum sit « lucarne » si ab « lucerna » ortum esset, sed jure notat Littré (vide Glossarium apud vocab. « lucarne ») « luiserne » tantum ex « lucerna » exire potuisse;

(1) Etymologisches Wörterbuch.
(2) Zeitschrift für vgl. Sprach.
(3) Laut und Formenlehre.
(4) Cf. Littré, apud vocab. lézard.
(5) De suffixarum mutatione in francogallica lingua, p. 27.

quod si in posteriore Latinorum lingua pro « lucerna » exstitit « lucarna », unde exiit nostrum « lucarne », quod non ita antiquum videtur, et parum, ut in latino vocabulo, cum solita verborum informationis regula convenit, non jure existimandum est « lezard » nostrum nihil aliud quam lat. « lacertus » esse. Credo ad primigenium « lai, lei, lé, » li » (= « lac » in latino « lacertus, lacerta ») accessisse suffixam nostram « ard ».

Soudard, soudart, non reor, ut Littré, ex nostro « solde » exiisse : nunquam enim apud « soudard » mercedis cujusquam notio prævaluit ; idem semper ac nostrum « soldat », cum malo sensu significavit. Suspicor « soldat » et « soudard » simul, prope XV^am^ ætatem, in usum apud majores nostros venisse, ab hispan. « soldado » vel præsertim ab ital. « soldato » assumpta, velut tot vocabula, quæ ad rem militarem pertinerent ; sed alterutri accessit suffixa nostra « ard. » Ante XV^am^ ætatem utebantur nominibus « sol- » deier, soudoier, soudeer » : « Bien en purrat luer ses » soldeiers », chans. de Roland, v. 34) — « Dunt bien pur- » rez vos soldeiers luer », Ibid. v. 133 (1).

Non id est *canard* quod intentivum habeas aut male in terpreteris : sermoni illatum post nostrum « cane » (= german. « kahn », lat. « linter », proprie animal quod per aquas facile natat), anatum genus tantummodo significat.

Malart, contra masculum anatem designat. Ejus origo incognita est ; neque est quod confugias ad lat. « masculum », nam omni tempore inscriptum est « malart », nunquam « maslart », aut ad « marem » in quo « a » non permansit.

Homard (ex german. « hummer ») pro « homar » est : hujus igitur vocabuli nulla est cum suffixa nostra » ard » conjunctio.

---

(1) Cf. Rothenberg, p. 27.

Renard quoddam animal est quod olim « goulpil, gor» pil, golpille » (= lat. « vulpeculus, vulpecula) dici solebat. Quum vero nomen hominis « Renart » (= germ. « Reginhart ») pro « vulpes » in eo carmine cui titulus inscriptus est « Roman de Renart » adhibitum esset, adeo populare et carmen et nomen factum est, ut apud nos « renard » pro « goupil » permanserit.

β. — Multa quoque nomina in « ard » exeuntia res mutas declarant, sed pleraque neque intentivam neque deminutivam neque malam significationem retinere solent: *blancard, blanchard* (blanc) ; *billard* (bille) ; *brancard* (branche) ; *brassard* (bras), nonnunquam et « brassal »; *cocarde* (coq), olim « coquarde » ; *cuissard* (cuisse) ; *étendard* (étendre) ; *flambard* (flamber) ; *foulard* (fouler); *moulard, moularde* (moule) ; *placard* (plaquer) ; *plantard* (planter) ; *poignard* (« poing », olim « poign », ex lat. « pugnus ») ; *moutarde* (moût) ; *pétard* (péter) ; *puisard* (puiser) ; *vasard* (vase), etc.

Nonnulla merentur quibus intentiore animo studeamus. Intentiva est suffixa « ard » apud *meulard* (frgall. « grande meule ») ; sed femin. *meularde* mediocris tantum magnitudinis mola est ; intentiva quoque *bombarde* (frgall. « bombe » = lat. « bumbus ») et *milliard* (lat. « millia »).

Sunt quæ male interpreteris : *brocard* (ex episcopo « Burchard » in XII[a] ætate) ; id est « asperiores facetiæ » ; *braquemart :* antiquiores formæ « bergamau, bragamas, » bagamar » parum sane cum græca voce βραχύς + μάχαιρα congruunt ; nihil tamen aliud inquirenti subit : « braket » (apud nos « grand sabre ») in XVII[a] ætate « braquet » inscriptum cum priore tantum vocabuli parte congruit ; unde igitur syllaba « mart » ? Fieri potest ut olim ex βραχύς + μάχαιρα latinum quoddam informatum sit nomen adhuc incognitum. Ita « braquemart » sensu ad græcam vocem accedit, ut difficile ad aliam originem convertaris.

Guimbarde opertus est quidam carrus ; olim et coutu-

meliose in mulierem cadebat ; nominis hujus plane obscura origo est.

Mansarde ex nomine civis nostri « Mansard » ortum est; minime in malam partem abit.

Nasarde ictus est « naso » impactus ; per mascul. « nasard » inveteravit ; in pejus leviter inflectit ejus significatio.

Souillarde (souiller) rima est per murum ducta et qua pluviæ exeant.

Traquenard (ex eodem primig. ac « traquer »(= germ. « trekken »).

Brouillard jam propter « brouillasse », investigavimus ; alterum exstat *brouillard* (brouiller), id est « codex » in quo quotidie inscribi solent quæcumque apud mer- » catores veneunt. »

Boulevard, boulevart (german. « bollverk ») rectius olim scriptum erat, « boulevert, bouleverc » ; falso cum ceteris in « ard, art » desinentibus nominibus collatum est.

Sic *corbillard* (Corbeil) olim « corbillac, corbillat » ac deinde « corbeillard » ; atque *blafard* (german. « bleifaro »).

Écharde vetus nomen prope exoletum ab « ex + carduus » ortum est.

Hallebarde ad ital. « alabarda » respondet.

Mégarde participiale nomen est ab verbo nostro olim usitato « megarder ».

Outarde non quidquam assumpsit ex suffixa nostra « ard, arde », nam rectissime cum latina voce « avis tarda » congruit (avistarda, austarda, ostarde, oustarde, outarde).

Rempart (frgall. verbum « remparer ») rectius « rempar » scriptum esset.

Sic *épinard* melius olim fuit « espinar » (lat. « spinarium »).

Calemard (= lat. « calamarium ») vetus forma est nostri hodierni ac rectioris *calmar*.

Minime quoque ad suffix. ard accedit « hasard » (ex arabico « al sar » : cf. ital. « zaro », hispan. « azar », vet. frgall. « asar »).

9). GERMAN. WALD (frgall. AUD, femin. AUDE). — Quemadmodum « ard, arde », sic digna est « aud », femin. « aude » suffixa cui animum intendamus; nam et aliquot declinata edidit nomina, quæ sæpius in malam partem abeunt. Minus tamen ferlilis quam superior, neque magis in dies crescit nova hæc creandi vocabula ratio. Cum adjectivis primigeniis conjungi solet suffixa « aud, aude » ; sed quum in principio adjectiva tantummodo nomina evaderent, paulatim in substantiva eadem mutata sunt.

Orta est suffixa « aud, aude » ab germana « wald », quæ in propria hominum nomina cadere solebat; deinde promiscuis seu hominum seu animalium nominibus aptata est, sed in romanicis tantum linguis, nam rarissima sunt apud Germanos promiscua (1).

Ex germano « wald » exiit lat. « oaldus » (Ausoaldus, Grimoaldus, Clodoaldus), quod, quum ab diphthongo Francogalli plane abhorrerent, brevi in « aldus », ut « cornua, batualia, mortuus » in « corna, batalia, mortus », conversum est (2). Postea consonans littera « l » rectissime « u » facta est, unde nostra suffixa « aud », femin. « aude », nonunquam, sed rarius, « aut. »

Ut apud Germanos, sic apud Francogallos suffixa « aud, aut » in propria hominum nomina cadere cœpit : « Aillaud, Arnaud, Arthaud, Bellaud, Bonnaud, Brossaud, Clairaut, Féraut, Guinaud, Huraut, Margaud, Michaud », aut « Michaut, Nadaud, Peraud, Renaut, Vergniaud, etc. »

Multa quoque in « ault » desinentia nomina enumerare licet : « Audrault, Barrault, Brunault, Ferrault, Hurault,

---

(1) Diez, *Gramm. des lang. rom.*, trad. franç., III, p. 347.

(2) Diez, *Gramm. des lang. rom.*, II, p. 346.

Machault, Michault, Montignault, Pinault, Regnault, Trigault, » etc. Vix necesse est ut memoremus in ea re, quum jam solita nostrorum vocabulorum lege « l » consonans in « u » mutata esset, peccatum fuisse : ea conversio non sine ullis exceptionibus facta est, nam pauca ex propriis nominibus in « ald » exeunt, ut « Bonald, Clodoad, Grimoald »: non vere popularia illa nomina ; quædam recentissime informata sunt.

In locum suffixæ « wald » successit postea apud Germanos forma « old : Gerold (= Gerwald) ; Reinold (= Reinwald) ; » inde rectissime apud nos « old, oud, out, oult : Farold, Berthold, Saint-Cloud, Machout, Arnout » aut « Arnoult ».

Unde autem profectum est, « oud, out, » pro « aud = aldus », nisi quod « a » vocalis muta facta est, eodem fere modo quo ex « cantamus » exiit « chantum, chantuns, chantons ? »

Olim propriis quibusdam hominum nominibus « Perrault, Michaud », etc. inerat quasi deminutiva significatio ; sed non permansit ea. Jam pridem neque intentivum neque deminutivum neque pejorem ullum sensum propria nomina in « aud, aut, ault » desinentia accipiunt.

Non item vero promiscua nomina, quotiescumque ab adjectivis oriuntur : tunc enim plerumque in malam partem abeunt : *courtaud* (court), olim « courtault », plur. « courtaux » ; *finaud* (fin), id est subdolus homo cui diffidendum est ; *lourdaud* (lourd) ; *moricaud*, sæpius in XVI[a] ætate « moricaut » scriptum, ab nostro « more » = lat. « maurus » ortum est. Cur tamen « moricaud », non « moraud » ? Quum ex latino « Maurus » exiissent multa declinata nomina, scilicet « Maurusiacus, Marusius, Mauretanicus Maurarius, Mauricus, Mauriscus, Maurillus », quædam rursus in sermonem nostrum translata sunt : « moresque, morisque (= Mauriscus) ; moreau », olim « morel » (= Maurillus), etiamque « moricaud » (ex lat. « mauri-

cus », per imitationem ceterorum nominum in « aud » desinentium); *richaud* (riche) in pejorem abit partem quam congeneratum « richard », quod sæpius intentivum habetur; *noiraud* (noir); *rougeaud* (rouge) pessimam significationem secum trahit; item ac præsertim *salaud, saligaud* (frgall. « sale »). Saligaud » ad nostrum « sale » pertinet, ut « moricaud » ad « more », per declinatum quoddam ac fictum latinum « salicus ». Cf. et « boursicaut (bourse), massicot (masse) ». Jam scimus per « c » litteram apud Latinos factam fuisse vim deminutivam; quæ ratio et apud nos nonnunquam invaluit; *soulaud* (soûler) cum pessima significatione; *sourdaud* (sourd).

In malam quoque partem abeunt alia nomina non ab adjectivis francogallicis sed ab substantivis aut variis primigeniis orta : *badaud* (lat. « badare », per provinc. « badau » : nam in francogallicis nominibus ab lat. « badare » ortis, « d » recte cecidit : « bayer »; *clabaud* (germ. « klappen ») : inde « clabauder, clabauderie »; *crapaud* (vet. frgall. verbum « craper » ex german. « craup », id est lat. « repere »); *faraud* (ex primig. quodam « far » cujus originem parum comperio. Sensu quidem cum lat. « ferus » prope congruit, sed minime cum forma nostri « fier »; non enim comprobandum videtur « faraud = fieraud ». Ad lat. quoddam « feroaldus, feraldus » respondet, in quo « e », cui tonus deerat, edere potuit « a », ut apud nostrum « farouche » = lat. « ferocem ». Forsan et « faraud » per proprium hominis nomen in sermonem nostrum inductum est; sed afferenda sint exempla, quibus careo; *grimaud* (« grime » = ital. « grimo »); *maraud* conjicio originem ducere, ut « faraud », ex proprio quodam hominis nomine « Maraldus », quod facile cum primigenio « mar » ex lat. « mas, marem » congruit : cf. proprium nomen « Dumaraud = du Maraud »; *penaud* ad lat. « pœna » in declinato quodam « pœnaldus, penaldus » respondet; *pataud* (patte); *quinaud* (vet. frgall. « quine »,

id est « grimace »); *rustaud* (vet. frgall. « ruste » = lat. « rusticus », recentius « rustre »); *ribaud* (german. « rîbe », id est lat. « meretrix »); *trigaud* (lat. « tricari »).

Nigaud adj., cujus femin. est « nigaude », obscura origine est. Inter omnes qui vocabulo huic animum intenderunt, Diez forsan propius vero accessit conjiciendo vet. german. « niuwi, niwi », id est lat. « rudis, imperitus », unde excogitatur declinatum german. « niwal » et lat. « nigaldus ».

Plura tandem nomina neque deminutivam neque malam accipiunt significationem : quorum alia aliam controversiam movent.

Artichaut ab ital. « articiocco », cujus primig. est arabicum « ardischoki », ortum est; immerito igitur scribere solemus « artichaut », quasi cum ceteris in « aud, aude » desinentibus congruat; rectiusque in XVI[a] ætate notatum erat « artichau »; idem dicas de *boucaut* (bouc) olim, in XIII[a] ætate, « boucel », atque de altero *boucaut*, quodam dolii genere, quod Littré ad lat. « buza, butta » refert : olim inscriptum erat « bouquauz » etiamque « bouciaus », ut manifestum pateat pro « eau, el » (lat. « ellus ») successisse « aut »; *herbaut* canis est qui, dum venatur, durius in captum animal incidit; minime igitur, propter significationem, cum nostro « herbe » congruit; *héraut* respondet ad lat. « heraldus », quod ab Germanis assumptum fuisse videtur; *taraud* a primig « tar » informatum est, ut nostrum « tarière », ex lat. « taratrum ».

Haud semel nomina attulimus in quibus suffixæ quædam in aliarum locum successere : quæ res, ut vulgo in creandis declinatis nominibus, sic proprie in vocabulis ad suff. « aud » pertinentibus notabilem obtinuit partem (1).

(1) Cf. J. Rothenberg, de suffix. mutatione, p. 29-33.

Præter quæ exempla produximus, *amiral* (= lat. « amiralius », idem vocabulum atque arabicum « emir ») neque per se ipsum neque per declinatum « amirauté » cum suff. « aut » congruit : nam « amirauté » ad fictum quoddam latinum « amiralitatem » respondet ; sed « amiral » olim notatum fuit « amiraut, amiré, amirafle, amirant » ; unde autem « amiraut », nisi quod nom. sg. « amirals », deinde « amiraus » falso inter nomina numeratum est quæ ad suff. « aud, aude » pertinent (1)? Jure Rothenberg revocat in memoriam vetus *menestrau* pro « menestral », hodie « menestrel » = lat. « ministerellus, ministrellus ».

Bersaut apud Froissart (Poésies, II, 265, « bersaut : tresaut » 88-89) invenitur. Recta hujus vocab. forma est « bersail » (ital. « bersaglio »); sed præter nostrum « berceau » existunt etiam « bersel » præsertimque « bersau », unde supra dictum « bersaut ».

Pro nostro « baril » reperire est in XVI^a^ ætate *barrot :* « ayant beu le vin qu'ilz avoient porté dans des barrots », Amyot, les Gracques, 25 ; aut *barrau :* « six barraux de vin », Ronsard (apud Littré). Ex « barrau » (lat. « baralis ») haud difficile, ut in superioribus exemplis, ad « barraud, barraut »), etiamque ad « barrot » transis.

Echafaud est pro « échafau » : cf. provinc. « cadafalc », ital. « catafalco ».

Levraut quoque pro « levreau » (= lat. « leporellus ») est, atque *quartaut* pro « quartau » (= lat. « quartale »). *Touchaud* rectius scriptum sit « touchau » (« toucher » + suff. « ellus »). *Emeraude* ad « smaralda » respondet ; sed vere latina forma est « smaragdus ». Cf. hispanic. « esmeralda », ital. « smeraldo ».

Per « c » deminutivum ex nostro « bourse » ortum est vere deminutivum nomen « *boursicaut* », quod apud po-

---

(1) Vide exempla apud Rothenberg, p. 30.

pulares homines rectius *boursicot* enuntiari solet : unde « boursicoter, boursicotier ». Ibi igitur, contra quam se res sæpius habet, « aut » est pro « ot », non « ot » pro « aut ».

Diphthongo « au » in « o » apud nomen « ribaud » mutata, evasit nostrum « ribote », unde « riboter, ribotier » ; nam ut « ribaud » hominem declarat impudicum aut libidinosum, sic vox nostra « faire ribote » nihil aliud est quam libidinose vino indulgere. Nec non *salop, salope* conjungendum est cum « salaud ». « Salope » ab anglic. « sloppy » originem ducit. Mecum ipse quæro num mascul. « salope » plane rectum sit ; sed compertum habeo in pluribus regionibus ex usu fieri mascul. « salop » pro « salope ».

Quædam vocabula cum suff. « aud, aude » plus minusve congruentia origine adhuc obscura sunt. Sic *chiquenaude* videtur ad hispan. « chico », frgall. « chique », lat. « ciccum » partim pertinere ; sed unde « naude » ? Ex iis quæ de nostro « chiquenaude » dicta sunt, nihil verisimilius est quam quod « naude » cum « note » confertur : « note » autem est lat. « nota ». Potuit « chiquenote » per suffixæ mutationem « chiquenaude » fieri.

Eamdem facio conjecturam de *baguenaude* pro « baguenote », nec tamen intelligere possum unde orta sit duplex ejusdem vocabuli significatio.

Bagaudes haud multum abesse credo ab origine nostri « baguenaude ». Quod si cum utroque conferimus « bagatelle », comperimus apud tria hæc vocabulo primigenium idem, quod olim ac nescio quomodo in pejus versum est : forte lat. recentius « baga » pro « bacca » ? Minime saltem dubitandum est quin « baguenaude » recte aut oblique ad suffixam « aud » pertineat : conferas enim licet declinata vocabula « baguenauder, baguenauderie, baguenaudier ».

Nonnunquam informata sunt verba aut substantiva nomina quæ ad nullum primigenium seu adject. seu subst. pertinere videntur, ut iterum atque iterum in opinionem

adducaris apud sermonem nostrum plurima vocabula per ceterorum similitudinem creata esse et invaluisse. Omitto equidem *bretauder* (olim rectius « bretonder », ex particula « ber » quæ plerumque in malam partem abit + « tondere »), falso cum nominibus in « aud » desinentibus collatum ; sed unde profecta « minauder, minauderie, minaudier », nisi ex inusitato quodam « minaud » ab nostro « mine » orto? Apud La Fontaine « Grippeminaud » conferas licet. Sic *ravauder, ravaudage, ravaudeur, ravauderie,* etsi haud immerito cum latino « readvalidare » comparata sunt, præcipue propter similitudinem suffixæ « aud » in malam partem abeunt.

Boyaudier longe abest ab primigenio « boyau » = lat. « botellus » ; informatum est quasi ab « boyaud » ortum esset. Jure et post Littré memorat Rothenberg vocab. « Marivaudage » eodem modo ab « marivaud » pro « marivaux » ortum ; *sureautier* (ex « sureaut » pro nostro « sureau = seur » + suff. « ellus ») ; *tuyautage, tuyauter, tuyauterie* (ex « tuyaut » pro « tuyau = tubellus »). In XV[a] ætate viguit non modo « sureau », sed et « suraut ». Ea autem suffixarum permixtio adeo non ad unam suffixam « aud » pertinuit, ut contra vel in plurimas alias incidere soleat : bijoutier (bijou), cloutier (clou), glouglouter (glouglou), ergoter (ergo), etc., etc. (1).

Pauca nomina in « aud » exeuntia evanuere aut saltem exolescunt : *brifaud* aut *brifaut* (brife), puer gulosus, ganeo ; sed origo nominis « brife » obscura est ; *chipault*, pannosus homo ; cf. verbum nostrum « chiper » ; *guinaud*, stultus ; *marpaud*, fur ; *sapaud*, etc. (2).

---

(1) Cf. Rothenberg, p. 32-33, ac præsertim A. Darmesteter : *De la création actuelle des mots nouveaux dans la langue française*, p. 72, ac seq.

(2) Cf. Diez, *Gramm. des lang. rom.*, II, p. 347.

CAPUT V

CONCLUDATUR

1). — *Quædam generaliter notantur de nominibus nostris seu deminutivis, seu intentivis, seu collectivis, seu tandem in malam partem abeuntibus.*

α). Si nominum seriem inspexerimus quibus supra studuimus, jam pro certo habebimus, quæ de latinis suffixis, quum ex latino sermone in romanicas linguas transirent, comperta sint, eadem illa evenisse etiamque nunc in francogallico sermone evenire : scilicet suffixis singulis adeo non singulos unice sensus inesse, ut contra sæpius ad priorem significationem novæ cum antiqua arctissime cohærentes accedant. Declinata quidem nomina, quum alia temporibus aliis proferri soleant, plus minusve integram suffixæ notionem retinent et facile in vicinam significationem transeunt : si quid æquo grandius est, nonnunquam id deforme habetur et inde injucundum, oculisque et animo odiosum : unde fit ut intentiva nomina facile in malam partem abeant. Quoniam vero sæpe parvis rebus animalibusque nonnihil adest venusti, deminutiva ideo libenter in blandas voces mutata sunt. Pauca exempla rem illam apertiorem facient.

Omissis enim declinatis in « ail, eil, eille » desinentibus, quæ ab nostri sermonis origine vim omnem deminutivam amiserunt, cur suffixa nostra « aille » (= lat. « alia » pro « alis ») creberrime pessimam accepit significationem ? At enim ad collectivum sensum miro quodam modo accedit inconditi cujusdam congestus notio, qui parum ab contemnendo acervo abest : veteribus nostris « mitraille, bataille,

» semailles », etc., nihil quidem adjunctum est quod ad contemptionem pertineat ; sed alia quæ multo recentius in sermonem nostrum illata sunt, ut « ferraille, moinaille, » prêtraille, radicaille », etc., in pessimam partem abeunt.

Qui fit ut quædam in « on » exeuntia nomina nonnunquam in vilissimas res incidant aut hominum malam existimationem afferant, nisi quod sermo noster, plane amplificata consuetudine quæ apud Latinos vix manifesta erat, veterem et intentivum etiamque deminutivum ejusdem suffixæ sensum in pejus vertit? Nempe « biberon » nostrum, exempli gratia, nihil primum aliud quam vasculum quoddam in quo ægrotantes homines aut infantes bibere solebant ; ecce vero, annis labentibus, magisque in dies inolescente mala suffixæ « on » significatione, « biberon » in eum incidit qui potationi indulget, atque in pessimam partem abit. « Paillasse » in principio congestus paleæ tantum fit tela inclusus, id est in latino sermone « tomentum », neque significationem hanc hodie amisit ; sed, quotiescumque in hominem cadit, ludium male declarat aut eum significat qui civitatis rebus incumbens in adversas partes levius faciliusque transit.

Scio equidem apud et alia nomina neque intentiva neque collectiva similem sæpe fieri significationis mutationem, atque in singulis sermonibus ita se rem habere ut creberrime vocabula paulatim ab primo sensu plane discedant. Nihilominus tamen illud verum est, quod demonstrandum suscepimus, sine ulla intermissione immutari suffixarum sensum, nedum immobiles permaneant. Ob id tantum « fouillis » nostrum in malam partem abit, quod ab intentiva aut potius collectiva significatione suffixa nostra « is » perfacile in incompositi cujusdam ac turpis congestus notionem excessit.

Parvæ ipsæ res, quotiescumque extra modum deminutæ sunt, plerumque in contemptionem veniunt : inde ad nomina nostra « gentilhommeau, hommeau, soliveau », etsi

suffixæ « eau » plerumque deminutiva tantum significatio inest, pejor existimatio accessit. Eadem vel de suffixa « in » dici possunt : quippe quæ, quum deminutiva esse soleat, præcipue tamen in declinatis nominibus recentius informatis, aliquid obtrectationis primigenio affert : sic apud « galantin, ignorantin, plaisantin, muscadin, poupin ». Quin et eadem illa suffixa « in » adeo multiplicis significationis particeps est, ut multa nomina in « ine » desinentia, nuper ab doctis intromissa, collectiva fiant.

Hodie tandem, propter originis suæ memoriam, deminutivæ quædam suffixæ in propria hominum nomina velut blanditiæ incidunt. Pro « Charles », si infantem puerumque compellas, libentius in populari eloquio dicis « Charlot » ; sic « Louison » pro « Louise » ; « Julion » pro « Julie » ; « Jeannette » pro « Jeanne » ; « Blanchette » pro « Blanche » ; « Jeanneton » pro « Jeannette » ; « Lucette » pro « Lucie » ; « Clairette » pro « Claire ». Quædam contra in malam partem abeunt : « Marion, Margoton », etc.

Eamdem rationem vidimus ad nomina quæ res mutas designant pertinere : deminutiva enim in « eau » exeuntia sæpius in pullos animalium aut in teneras herbas incidunt.

Sed, ut ad alias veniamus suffixas, « barbiche, barbichet, barbichon » velut blanditiæ adsunt ad catulorum quoddam genus pertinentes ; simul vero pessima cum significatione eos sacerdotes declarant qui credulæ aut rudiori religioni indulgent. Quid de « biquet » dicamus ? Non tantum hædillus est, sed blandissime a parentibus pueri sic appellantur ; eodem modo « bichette » jucundissime in puellas incidit ; deminutivum ipsum « brunette » amicissimum est quoddam nomen ; item « blondin, blondinette » ; non modo deminutivum « causette » nostrum est : in jucundissimum inter amicos sermonem incidit, multumque ab nostro « causerie » distat. Deminutivum sane « propret » ; sed simul venustæ alicujus rei opinionem in-

jicit. Si de infante agitur, non quidem « ses mains » sed « ses menottes » parentes dicere solent.

Quid plura? sic se res habet ut plerisque suffixis multiplicem inesse significationem, iisque præsertim invenias, quæ hodie vigent ac quotidie declinatorum copiam informant : eadem enim deminutiva simul ac blanda est; collectiva simul atque intentiva aut in malam partem abit; aut etiam omnia hæc conjunctim significat.

β). Postquam ex alia in aliam significationem fieri suffixarum vicissitudinem ac mutationem comperimus, operæ pretium erit monstrare quomodo suffixæ plures paulatim ita cum primigenio conjungantur ut mox propriam significationem amittant. Ut enim apud Galloromanos latinæ suffixæ « aculus, eculus, iculus, uculus, on, eolus, iolus, ola » etiamque « illus, ellus, ella » adeo ab deminutiva vi discesserant, ut vel in antiquissimis sermonis nostri monumentis, declinatorum nominum « soleil, pareil, genou, menton, taureau, tilleul », etc. significatio minime ab primigeniorum « sol, par, genu, mentum, taurus, tilia », etc. sensu distaret : sic francogallicæ suffixæ plures, quum primum sensu plane deminutivæ essent, partim ex antiqua significatione deflexerunt, et prope in simplices voces conversa sunt nova hæc nomina. Exempla quidem non absunt : quid amplius declinatum nostrum « chopine » declarat quam « chope », nisi quod in eisdem rebus cyathi illi jam non adhibentur ? « Ballon, canton, carton, glaçon, grêlon, talon », etc., quæ nuper etiam intentiva habere licebat, vere simplices voces hodie sunt, apud quas propria suffixæ notio magis in dies hebetatur.

Quin et apud vocabula in « sseau, ceau, celle » desinentia, in quibus præsens « c » littera vim deminutivam augere solet, quam multa jamdudum ab veteri deminutivaque significatione absunt ! Qui deminutiva apud « cerceau, faisceau, ficelle, morceau, oiseau, vaisseau, vaisselle », etc., agnoscas?

Plurima tandem attulimus exempla nominum in « et, ette, ot, otte » desinentium, apud quæ omnino deleta est vis deminutiva, quum tamen non ita pridem eadem illa significatio vigeret : ut vere simplicia nostra ætate sint vocabula « buvette, cachet, canette, jaquette », totque alia quæ supra enumeravimus.

Cur tali modo immutata est tot suffixarum conditio? Qua de causa sic se res et habet et usque habebit? Longo scilicet usu, ut opinor, primigenium aut particula aut ambo inter se adeo conjunguntur, ut jam discerni singula nequeant.

Ut enim suffixa viva sit, id est declinatorum ferax fiat, necesse ac simul satis est ut per se in semet ipsam animum acriter convertat et ab primigenii notione facile discernatur ; aut, si aliter idem significari placet, includenda est in declinato duplex sententia (1).

Quotiescumque vero arctissime cohærent primigenii suffixæque notiones, non aliud fit declinatum quam simplex vocabulum, ut « chalumeau, chapiteau, château, banquet, bouquet », etc.

Quod si contra ambæ illæ sententiæ discriminatæ sunt, propriam vim primigenium servat suffixæque inest notio quædam quæ ad tenuitatem, amplitudinem, deformitatem aut ad rerum conjunctionem pertinet : « herbette, fillette, garçonnet, ourson, raton, dindonneau, figurine, fortin, lionceau, douceâtre, courtaud, finaud, cabochard, richard, gueulard, barbille, valetaille, chênaie, fougeraie, reculade, bousculade, abatis, fouillis, liasse, paperasse », etc.

(1) Vide A. Darmesteter : *Création actuelle des mots nouveaux*, p. 70.

2). *Inseruntur quædam inter finalem particulam et primigenium deminutivæ suffixæ.*

Nonnunquam ex insertis suffixis vim novam ac plerumque deminutivam accepit declinatum nomen : quam quum facultatem a Latinis sermo noster assumpsisset, etiam amplificavit, ut haud semel supra monstravimus (vide suffixas « eau, et, ot, erie »).

Sæpe quidem fit ut finalis suffixa ad aliud quoddam declinatum tantum accedat : *béquillard* (= béquille + ard = bec + ille + ard) ; *dindonneau* (= dindon + eau = dinde + on + eau) ; *faucillette* (= faucille + ette = faux + ill + ette). Nonnunquam cum veteri quadam forma nunc aut immutata aut exoleta conjungitur finalis suffixa : *mantelet* (= mantel + et) ; *martelet* (= martel + et) ; etc.

Sæpius quoque declinatæ formæ primigenio proximæ, in « el, er, ill » plerumque exeuntes, non per se in sermone existunt, atque nihil aliud præstant, quam ut declinatum nomen facilius informetur : Sic *chevr-ill-ard*, *chambr-ill-on*, *herb-el-ette*, *bêch-et-on*, *carp-ill-on*, etc. in quibus neque « chevrill », neque « chambrill », neque « herbel », neque « carpill », etc. unquam apud majores nostros aut apud nos usitata sunt.

Illud vero ante omnia notabile, quod inter primigenium finalemque declinatorum nominum suffixam quædam inseri solent litteræ quibus suffixarum vis inest. Quæ litteræ jampridem fuerunt etiamque nunc sunt : « c » aut « ss, r » atque « t ».

« C » aut « ss » præcipue in declinatis nominibus ab suffixa latina « c-ellus, c-illus » ortis invenitur : *arbr-iss-eau*, *lion-c-eau*, *jouven-c-eau*, *dem-ois-elle*, etc.

« R » apud declinata nomina in « eau, on, ole, et » desinentia haud raro inseritur : *aile-r-on* (aile) ; *laide-r-on* (laid) ; *mouche-r-on* (mouche) ; *puce-r-on* (puce) ; *poète-r-eau* (poète) ; *bande-r-ole* (bande) ; *dame-r-et* (dame), etc.

Inserta « t » littera rarior est superioribus in eis quas inspeximus suffixis. Eodem modo quo « r » primigenio additur : *roi-t-el-et* (roi) (1).

Sic insertis inter simplex vocabulum et finalem suffixam particulis aut litteris, multo major fit declinatorum copia, eidemque primigenio multiplex et fertilis adest facies.

3). *Quibus deminutivis, intentivis, collectivis aut in malam partem abeuntibus suffixis fecunda vis adhuc adsit ?*

Inter quas perspeximus suffixas, alteræ, numerosissimæ quidem, ad popularem, alteræ ad doctum sermonem pertinent. Aliæ vel primis linguæ nostræ temporibus, vel media ætate viguere ; sed quum paulatim vim fecunditatis suæ amisissent, hodie jam non præstant ut declinata nova informent, et prope mortuæ sunt ; aliæ contra haud ita veteres recentioribus ortæ sunt temporibus ac plane vigent. Quædam in dies pauciora declinata jampridem creant ; aliæ vero cum sermone nostro natæ olim plurima nomina ediderunt, atque hodie non quidquam ex fertilitate sua perdiderunt (2).

Haberi vere populares possunt suffixæ « as — asse, ace — is — agne — aie — ail — eil — il — ieu — ouil — ou — aille — eille — ille — ouille — ard, arde — aud, aude — âtre — eau, elle — euil, eul, ol — in, ine — on, onne — et, ette — ot, otte — at, ate — u — erie — eux. »

Ab doctis hominibus per latini sermonis imitationem informatæ sunt : « ule — issime — bond », partimque « at ».

Ab Italis, nonnunquam ab Hispanis rariusque ab Provincialibus adscitæ : « ache — iche — oche — uche — ade — at — ole.

---

(1) Cf. A. Darmesteter : *Création actuelle des mots nouveaux*, p. 73-75.
(2) Cf. A. Darmesteter : — — p. 69.

Vix necesse est ut in memoriam revocemus sæpius inter se permutatas commixtasque fuisse suffixas, ut nonnulla vocabula principio ad quamdam pertinentia suffixam, in aliam deinde ac longo usu transirent. Sic « aille » in locum suffixæ « ille » successit : « volaille » ; « ille » pro « eille » : olim « aville, corbille » pariter cum « abeille, » corbeille » ; suffixa « ard » immerito incidit in plura nomina quibuscum ipsius nulla erat conjunctio, ob id tantum quod sonus aliquantum similis erat ; idem factum est apud vocabula nunc in « in » exeuntia ; « eau, aut » atque « ot » sæpe inter se commixta fuere ; ex declinatis in « et » desinentibus nonnulla tandem haud recte « et » assumpsere.

Huc accedit quod externæ quædam aut ab doctis informatæ suffixæ præstiterunt ut vere popularia nomina postea ederentur : « ade » suffixa, ut exemplo utar, quanquam italica origine, adeo francogallica paulatim facta est ut, post priorem declinatorum copiam exhaustam, plurima ætate nostra orta sint nomina informatione ac primigeniis vere francogallica.

Inter suffixas ex latino sermone assumptas, plures quidem dudum infecundæ sunt : « as — agne — ail — eil — » ieu — ouil, ou — eille — ouille — euil — eul — ol » vim omnem fertilem amiserunt, neque jam quidquam ad augendum sermonem præstant ; « asse, ace » paucissima promit nomina ; « âtre » etiam, quanquam haud semel ad adjectiva nomina nostro tempore accessit, ab mala significatione singulis diebus discedit ; senescunt « aie, u ».

Inter suffixas doctorum opera inductas, « ache, iche, » oche, uche » jampridem nulla declinata informant ; deminutiva vis suffixæ « ole » cessat ; « issime, bond » perpauca nomina ediderunt neque multa alia edent ; « at » sola rursus paululum viguit : « pensionnat, rectorat, ma- » réchalat, septennat », etc. ; sed non verisimile est plurima nomina inde evasura.

Quibus detractis, facile intelligis quæ francogallicæ aut externæ, doctæ vel populares suffixæ in informandis declinatis plurimum valeant : « is » fecundissimus est collectivorum fons quæ rarissime in malam partem abeunt; « aille » ad latinam suffixam alia respondens quotidie nova nomina in pessimam partem abeuntia prodit; « ille » (= lat. « icula ») deminutiva dare non desinit; sed tandem « eau, elle — in, ine — on, onne — et, ette — ot, otte » deminutivorum uberrimum fontem præbent, nisi quod pejorem in dies significationem suffixa « in » accipit. In malam tamen abeunt partem præcipue « ard, arde — ade » suffixæ, quarum vis perennis ac vivacissima nostra ætate esse videtur. Quum jam in eo esset suffixa « ule » ut omnino exstinguereture, ecce per suffixam « cule » renascitur et sine ulla intermissione declinata nomina præstat quæ ab doctis viris quotidie informantur.

Quod si judicare vis quantum suffixæ « aille, ille, eau, » in, on, et, ot, ard, ade » vigeant, tibi satis erit nova ea nomina inspicere quæ XIX[a] nostra ætate creata sunt et singulis diebus creantur. Multa quidem adeo jam usu valent, ut civitatem, ut ita dicam, sint assecuta; plura vero ac recentiora donec excipiantur exspectant (1).

4). *Francogallicus cum italico hispanicoque sermone confertur.*

Diez ille qui doctissime accuratissimeque romanicis linguis studuit, postquam notavit eas latino sermoni declinatorum nominum numero longe præstare, diversas cujusque suffixas recensuit. Cedit quidem in ea re francogallicus italico atque hispanico sermoni, sed nihilominus dives haberi potest, ut qui, hispanico 163, italico 158 suffixas possidente, 114 suffixis utatur. Eadem vero prope ratio est suffixarum quas inspeximus :

---

(1) Vide, A. Darmesteter, *Création actuelle des mots nouveaux*, suffixes nominaux, p. 76-115.

proximus ibi sermo noster italico et hispanico. Deest quidem suffixa quæ ad hispanicam « ico » respondeat : « animalico, asnico » ; sed collectivæ et eæ quæ in malam partem abeunt, accedentibus quas ex ambobus illis sermonibus accepimus, « ade, oche, iche, uche, ole », numero ita valent, ut minime impares simus. Si tamen intentivas respicis suffixas, vincimur : suffixa « on », quum apud nos plerumque deminutiva sit et rarius in malam partem abeat, fit apud Italos Hispanosque, præsertim in adjectivis nominibus, intentiva; sic et hispanica suffixa « ueño » (« halogueño », id est apud nos « flatteur », « pedigueño = « demandeur »), etc., quæ in sermone nostro omnino deest, plane intentiva nonnunquam habetur. Haud immerito dicas rarissima apud nos esse nomina ad intentivam significationem accedentia. Ceteris suffixis italicæ hispanicæque linguæ propiores sumus.

INDEX FRANCOGALLICORUM VOCABULORUM

Quæ in hoc libro inscripta sunt.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
A. d. XIV Kal. jan.
ann. MDCCCLXXXIII,
Facultatis Litterarum in
Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur :
Academiæ parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX

Nancy. — Imp. Nancéienne, 1, rue de la Pépinière. Direct. : Pierson.